DE

L. LICINIO CRASSO.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AD SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

AB AMPLISSIMO

ORDINE PHILOSOPHORUM LIPSIENSI

RITE IMPETRANDOS

SCRIPSIT

MAXIMILIANUS OETTE.

LIPSIAE
TYPIS C. G. NAUMANNI.
MDCCCLXXIII.

LUDOVICO LANGIO

PRAECEPTORI CARISSIMO

Magnus est in re publica campus,
multis apertus cursus ad laudem.

Populi Romani res publica qualem tenuerit cursum ex illo tempore cum fere omnes gentes nationesque mare mediterraneum quod vocamus accolentes ad imperium suum adiunxisset si spectaveris, liberam rem publicam manere non potuisse ad unumque hominem magis magisque imperium conversum esse concedes. Quod natura et necessitate factum et artissime cum progressu regni cohaesisse puto. Cum enim ii penes quos potestas et summum imperium erat et qui opibus pollebant, nobiles dico omnesque qui eorum potentiae favebant, et avaritia et stultitia prohiberentur, quominus regnum ab hostibus defenderent et tot tantasque gentes nationesque regerent et, id quod est summum, omnibus aequa munera impertirent, fieri non potuit quin illi imperio sese abdicarent remque publicam aliis gubernandam permitterent. Cum vero alia populi pars quae tantum onus susciperet digna non esset, unius hominis ingenium iustitiam aequitatem desideraret res publica necesse fuit. Nam et optimatium pars et alia si qua fuit in eo fundamenta potestatis habebat, ut ceteras gentes nationesque in condicione servitutis cuiusdam contineret. Atqui inter eos solum qui pares sunt vel sibi videntur societas non solum vi et armis confirmata sed quae stet sua vi interesse potest. Cum enim quaelibet res publica id postulet ut non solum libertas et civitas sed etiam imperium ad omnes pertineat (tum enim denique publica sive populi est res), populi Romani optimates eaeque populi partes quae potestatem habebant, ne cives Romanos quidem omnes imperii participes fecerunt. Populi enim Romani, quotcunque reges ditis-

simi Asiae subigebantur quorumque opibus aerarium completum est, nulla pars praeter optimates et equites divitias sibi parabat: penes optimates et equites imperium fuit: hi honoribus fungebantur, hi agros possidebant. Eadem autem ratio, quae inter populum et optimates equitesque interfuit, populo cum sociis fuit. Quin condicio qua socii utebantur multo molestior fuit. Nam quamquam maxima pars populi in summa paupertate vitam degebat, tamen si coloniae deducebantur, cives Romani ante omnes mittebantur: largitione frumenti inopiae subveniebatur, ludis magnificentissimis spectandi cupiditati satis faciebant magistratus. Sociis autem si bellum exortum erat, onera ferenda erant, hi naves complebant, hi militum certum numerum praestabant, at fructus ex his muneribus paene nullos capiebant. Itaque ut mala illa, quae in tali statu rei publica inerant, quae si adolevissent regnum praeceps dedissent, evellerentur atque exurerentur, et boni qui dicebantur de dignitate et auctoritate recederent et populus ipse de commodis suis, quae ei e civitate redundabant, sociis concederet necesse fuit. Quod quominus fieret avaritia bonorum et populi impedimento fuit. Quandocunque vero factionibus vexatur res publica, quamvis sint honestissimi inter eos, qui diversas partes agunt, hi tamen omnia ad se trahunt, de suo nihil concedere solent: id quod tum accidit. Qui status rei publicae si commutandus erat, salus non a factionibus avaritia corruptis petenda, sed sperandum fuit futurum ut unius hominis ingenio si non in priscam condicionem res publica restitueretur, at certe iis malis quibus laborabat liberaretur. Si vero ex rebus gestis gentium nationumque praeter cetera id cognoscitur, eum qui viribus et ingenio excellat superiorem fieri, in laudem generis humani plerumque factum esse non negabis, ut cum omnes ex avaritia maculam labemque concepissent homines tum existerent qui nihil aliud agerent nisi ut patriam a miseriis vindicarent. Id Romae quoque factum est.

Gracchi exstiterunt, qui, quamquam e nobilium numero et cum bonorum qui dicebantur factione nobilitate dignitate sodalitate coniuncti erant, tamen eorum potentiam minuere iugumque quod hi populo quodque populus sociis imposuerat frangere conati sunt. Sed non est unius hominis statum rei publicae qui inveteravit evertere. Interfecti sunt Gracchi: mala quibus res publica aegrotabat manserunt. Id quidem

Gracchorum studiis effectum, ut omnes agnoscerent qualis esset rei publicae status.

Inter eos qui post Gracchos ad rem publicam ordinandam accesserunt, M. Livii Drusi splendet nomen. Id autem interest inter Gracchos et Drusum, quod illi a popularibus stabant, hic ab optimatibus: quin bonorum consilio Drusus commotus videtur ut leges suas promulgaret. Inter eos autem qui consiliarii Drusi fuerunt, qui quantum potuerunt eius leges suaserunt, fuit L. Licinius Crassus ille, cui Cicero in libris de oratore primas partes dedit. Tantopere est commotus Crassi animus in illa pugna quae inter eos qui a Druso stabant et consulem L. Marcium Philippum caput adversariorum exarserat, ut eum spiritum in hac ipsa pugna deposuisse dici posset. Drusi leges sunt reiectae: bellum inter cives et socios exortum: non in foro et senatu, non legibus et orationibus, sed vi et armis imperium Romanum confirmatum est. Nobiles qui de dignitate recedere nollent expulsi et interfecti sunt: pauci inter se imperium diviserunt, uni tradiderunt. Cives autem Romani militibus imperatorum eam potestatem et ea commoda concesserunt, quibus sapienter uti avaritia et stultitia prohibebantur. Ita natura factum est ut ad unum summum imperium perveniret, ut ea forma imperii exsisteret, quae omnibus populis, quicunque postea ad res gerendas accesserunt quasi facta est magistra et exemplum.

Quod imprimis deberi C. Iulio Cæsari quis est qui neget? Non is sum qui coner de meritis eius aliquantulum decerpere. Sed id mihi persuasum est unius hominis opera, licet ingenio animo vi omnes quicunque unquam fuerunt superet, statum rei publicae mutari non posse. Nam unda fert nec regitur. Ii autem qui summum imperium sibi paraverunt, fructus collegerunt quorum semina alii sparserant. Si igitur intellegere volemus, Romanorum res publica ut mutaretur qui factum sit, non unius hominis vitam admirati spectare, eius mortem lugere, sed eorum omnium qui antecesserunt eadem diligentia eodemque studio perscrutari res gestas debemus, ut inde normam et iudicium quo in rebus diiudicandis utamur petamus.

Inde mihi animum induxi de L. Licinii Crassi vita agere, cuius supra mentionem feci. Nam is, quamquam nihil fere eorum quae petiit assecutus est, nihil fere attulisse videtur

ad rem publicam in meliorem condicionem transferendam, immo quibusdam auctor belli quod inter cives et socios exortum est, videbatur esse, tamen cum rebus gerendis interfuerit et ab iis quibus laborabat malis rempublicam vindicare conatus sit, non inutile mihi visum est eius vitam scribere. Interdum enim e rebus minus bene gestis si re vera sunt minus bene gestae nonnihil discimus.

Scripta quae ad L. Licinii Crassi vitam enarrandam praesto sunt praeter Ciceronis libros fere nulla exstant. Nam pauca quae Valerius Maximus attulit e Ciceronis scriptis fluxisse praeter duos locos constat[1]: unde enim quae de Crassi clementia adversus Carbones Valerius tradidit[2], sumpserit, pro certo dici non potest; sed cum in laudem Crassi sint dicta, e Ciceronis scriptis quae iniuria temporum interierunt esse excerpta conici licet, cum illum summa laude Crassum extulisse sciamus. Cicero autem duobus potissimum locis de Crasso dixit: in libris de oratore ei primas partes dedit, in Bruto de vita eius egit. Quod Crassum Cicero elegit, quem ante omnes celebraret, id et propter morum et ingenii similitudinem quae inter Crassum et Ciceronem intercederet et inde factum puto quod neuter quamquam summo studio rei publicae adfuerunt quidquam eorum quae petiit est assecutus. Accedit quod Cicero familiaritate[3] cum Crasso coniunctus fuit; Ciceronis enim matertera C. Aculeoni nupta fuerat qui Aculeo domi Crassi vixit[4]. Cum Aculeonis filiis ab iisdem doctoribus quibus Crassus utebatur Cicero eruditus est et Crassus ea quae pueris discenda essent praescripsit[5]. Ita factum est ut Cicero Crassum clarissimum oratorem, hominem in rebus gerendis versatum qui florebat auctoritate quasi imaginem spectare consuesceret, quae imago, ut plerumque fit, iuvenili ardore recepta ita eius animo impressa est, ut Cicero non solum res bene gestas sed etiam ea quae non

---

[1]) Valerius Maximus quae IX, 1, 1 (ed. Kempf) de causa Considii narrat e Ciceronis Hortensio sumpta puto: cf. Cic. fragm. Hortens. 69 ed. Kayser-Baiter.

[2]) III, 7, 6. VI, 5, 6.

[3]) Cic. de orat. II, 1, 2.

[4]) Cic. de orat. I, 43, 191.

[5]) Cic. de orat. II, 1, 2.

probanda erunt imitaretur. Crassum enim qui triumphi cupiditate inductus Alpium incolis bellum intulit. Cicero imitatus est cum triumphum de Cilicibus peteret[1]). Quin ita Cicero hanc imaginem adamavit ut ei imputaret, quod ipse fecit, quasi ut ornaret et dignitatem eius augeret: nam quod Cicero de eius doctrina narrat[2]), quod dicit illum in animo habuisse de iure civili scribere[3]), id in Crassum cadere homines docti iure negare mihi videntur[4]). Quae cum ita sint concedes cavendum esse nobis ne temere Ciceronem in L. Licinii Crassi vita describenda sequamur. Ita autem imaginem illius a Cicerone depravatam non puto, ut in exprimenda Crassi imagine non illius potissimum scriptis utamur.

Qui nostris temporibus de Lucio Licinio Crasso egerunt quorum libris usus sum sunt:

Haakh, Pauly Real-Encyclopädie IV p. 1058 e. q. s.
Drumann, Geschichte Rom's etc. IV p. 62 e. q. s.
Meyer, H., oratt. Rom. fragmenta, ed. II. p. 291.
Teuffel, Geschichte der röm. Literatur. ed. I. p. 195.

E. I. G. a Bruneri libelli de M. Antonio et L. Licinio Crasso oratoribus Romanis (Helsingfors 1853), qui liberalitate antistitis bibliothecae Helsingforsianae mihi obtigit, opusculo demum absoluto perlegendi mihi fuit potestas. Quae commentatio eo spectat ut Crassi quanta laus oratoria fuerit ex certis testimoniis eliciatur et iusta trutina examinetur: quod mihi propositum non est. Itaque cum Bruneri vita Crassi e Ciceronis potissimum verbis contexta praeter res notissimas nihil afferat, neque quidquam insit, quo iudicium meum de Crasso mutetur, in eis quae sequuntur mentionem eius non feci.

---

[1]) Cic. in Pison. 26. Drumann Röm. Gesch. VI, 153.
[2]) Cic. de orat. II, 1, 2. cf. I, 34, 152.
[3]) Cic. de orat. II, 33, 154.
[4]) Teuffel Röm. Literaturg. § 149 Anm. 3.

L. Licinius Crassus natus est Q. Servilio Caepione C. Laelio coss. a. u. c. 614. a. Chr. n. 140 [1]), triennio ipso minor quam M. Antonius [2]). Pater [3]) eius qui fuerit adhuc notum non est. Putaverunt antea homines docti patrem fuisse P. Licinium Crassum Divitem Mucianum; sed iam pridem recte Glandorpius [4]) horum sententiam refutavit loco Ciceronis [5]), ubi Crassum nominantem inducit illum quem dixerunt homines docti '*propinquum*'. In fastis Capitolinis [6]) ad annum u. 662/92 quo cum Cn. Domitio Ahenobarbo Crassus censuram gessit, ad scriptum exstat: *cens. cn. dom.*] CN· F· CN· N· AHENOBARB: L· LICINIVS· L· [*f.* Apparet igitur eum Lucii cuiusdam filium fuisse. Sed si nomina omnium Crassorum Licinia e familia perlustraveris neminem invenies, cui illis temporibus praeter nostrum Licinium hoc nomen fuerit: nusquam in scriptis eorum, qui res gestas illius temporis nobis tradiderunt mentio fit patris Licinii nostri. Res autem ideo mira quodammodo mihi videtur quod domus Crassorum e familia Licinia illis potissimum temporibus floruit. Iam bello Punico secundo fuit P. Licinius Crassus [7]) pontifex maximus qui inter iuris consultos illius aetatis floruit, collega P. Scipionis Africani. Huius deinde fratris filii [8]) floruerunt P. Licinius Crassus [9]) et C. Licinius Crassus [10]), quorum alter initio belli Persici mala fortuna pugnavit, alter collega L. Aemilii Paulli fuit, cum ille bellum Persicum finiebat. C. Licinii filius eodem nomine C. Licinius notissimus, qui res novas molitus est et a popularibus stetit. Noti deinde P. Licinius Crassus Mucianus Dives, frater P. Mucii Scaevolae, adoptatus a P. Licinio

---

[1]) Cic. Brut. 43, 161.

[2]) Cic. Brut. 43, 161. De orat. II, 89, 364: ubi Cicero Antonium de Crasso dicentem haec induc it: „*An aetatem afferet? Quadriennio minor est.*" e Langii coniectura scribendum puto: *An aetatem afferet, qua triennio minor est?*

[3]) Cic. de or. III, 20, 74; 33, 133 Crassum de patre suo dicentem finxit; sed ex his locis nihil concludi potest nisi patrem studium in filio educando posuisse: nisi putemus Ciceronem hic de suo patre cogitasse.

[4]) Glandorpii onomastic. Rom. p. 526. Frcf. 1589.

[5]) Cic. de orat. I, 37, 170.

[6]) Corp. Inscr. Lat. I. p. 439.

[7]) L. Lange Röm. Alterthümer II, 199. 203. 241.

[8]) Drumann IV, 57 Nr. 13.

[9]) Lange II, 245, 266, 267.

[10]) Lange II, 264. Drum. IV, 58. Nr. 14.

Divite[1]), et P. Licinius Crassus[2]) M. f. qui sua manu se interfecit, pater M. Licinii Crassi triumviri, ut taceam de M. Licinio Crasso praetore, de M. Licinio Agelasto[3]) avo triumviri. Itaque si mecum considerabis quam multa de his nobis tradita sint, qui nullo modo gloriam Licinii nostri assecuti sunt, mihi facile concedes suspicionem moveri patrem Crassi e familia Licinia nôn fuisse, immo alia e familia ortum esse. Magis etiam offendimur si perpendimus eum cui omnia fere de vita Licinii nostri debemus, qui eum quasi antecessorem suum amavit et extulit nullam mentionem fecisse patris eius. Nam quod alii scriptores eum non commemoraverunt casu factum esse potest: quod is qui tam multa nobis de vita Licinii prodidit, nullam nominis eius mentionem fecit casu factum vix esse conicias. Omnis iam difficultas tollitur, si demonstrari potest patrem Licinii nostri e familia Licinia non fuisse, sed L. Licinium Crassum adoptione in illam familiam transiisse, patrem autem illius eis fuisse moribus ut Cicero imaginis suae splendorem foedari putaret, si eius mentionem faceret. Movetur autem suspicio Ciceronem consulto conticuisse, si reperimus Ciceronem ubicunque de eo de quo agitur loquitur, rem depravasse. At scriptor cui debemus notitiam patris Licinii nostri in notanda aequalium pravitate versabatur et aequalis Licinii nostri fuit. L. enim Lucilius scriptor satirarum haec habet[4]):

Luciu' Cotta senex, Crassi pater huiu' panaethi
magnu' fuit treico nummariu', solvere nulli
lentus.

Quis hic Lucius Cotta fuerit, iis rebus quas scriptores nobis tradiderunt si cum verbis Lucilii comparamus, probabilitate quadam demonstrari potest. Lucium Cottam, qui illo tempore quo Lucilius satirarum librum XI edidit aut senex fuit aut iam mortuus erat, triconem dicit poeta nummarium, solvere nulli lentum, id est: qui lentus ad solvendum erat[5]). Optime autem cadunt haec in L. Aurelium Cottam qui collega Servii

---

[1]) Drum. IV, 60, Nr. 20 filium collegae Scipionis conicit fuisse.

[2]) Drum. IV, 70. Nr. 32.

[3]) Drum. IV, 69. Nr. 29.

[4]) C. Lucili saturarum reliquiae ed. Luc. Mueller. lib. XI. fragm. XI.

[5]) *infitiatores lenti* Cic. in Catil. II, 10, 21. Muell. p. 232: *est lentus idem ac pertinax; cf. Horat. c. III*, 29, 50: *ludum insolentem ludere pertinax.*

Sulpicii Galbae in consulatu 610/144 fuit. Qui cum tribunus plebis creditoribus suis pecuniam solvere nollet, fiducia potestatis suae sese tutatus est. Sed collegarum minis coactus est ut illis satis faceret [1]. Deinde cum consul [2] esset et cum Servio Sulpicio Galba collega contenderet uter in Hispaniam mitteretur, Scipio pervicit ut neutri provincia haec daretur, quia alter nihil haberet, alteri nihil esset satis. Eundem [3]. Cottam Scipio apud praetorem accusavit: criminis causa nota non est: Cottam Q. Metellus Macedonicus, cuius quattuor filii consules fuerunt, defendit [4]; sed Cotta corruptis iudicibus effugit [5]; ita enim Appianus nobis tradidit. Cicero autem longe aliam ob causam iudicio eum liberatum esse dicit [6]: noluisse enim iudices nimiam auctoritatem Cn. Cornelio Scipioni tribuere, quapropter Cottam absolvissent. Fuit igitur ille Cotta eorum optimatium e numero, qui dedecus ordinis sui essent [7]. Cum Scipio eum accusaverit apparet quamobrem Lucilius eum notaverit: fuit enim Lucilius, id quod notissimum est, maxima familiaritate cum Scipione coniunctus et ideo Lucilius minus familiaris Crasso quam ille volebat [8]. Omnibus his ex rebus colligi posse concedes Cottam quem dicit Lucilius illum notum L. Aurelium Cottam fuisse. Quaeritur autem quis hic Crassus fuerit, quem *panaethum* dicit Lucilius. Non eorum [9] probo sententiam qui non proprium nomen *Crassi* sed adiectivum existimant, et ad L. Aurelium Cottam referendum putant, tribunum pl., subrusticum illum qui dilatandis litteris antiquitatem imitabatur [10]; per ironiam et ioci causa esse adiectum *πάναιθον* i. e. splendidum. Sed quaesita haec sententia mihi videtur. Nihil obstare video quominus L. Licinium Crassum hic dici putemus, qui illo tempore quo haec satira edita est fuit notissimus. Qua sen-

---

1) Valerius Maximus VI, 5, 4.
2) Val. Maximus. VI, 4, 2. Lange II, 319.
3) Lange III, 21. Zumpt Criminalprocess. p. 469. Val. Max. VIII, 1, 11.
4) Cic. Brut. 21, 81.
5) Appian bell. civ. ed. Bekker I, 22.
6) Cic. pro Mur. 28, 58.
7) Cic. Brut. 21, 81 *L. Cotta veterator habitus.*
8) Licinii Aurelii Mucii adversarii Scipionis fuisse videntur. Lange II, 327.
9) Lucili rell. ed. Gerlach proll. p. XIX.
10) Cic. Brut. 36, 137; 74, 259.

tentia hunc Crassum poeta *πάναιθον* dixerit, qua de causa Graeco adiectivo usus sit, intelleges si alium versum eiusdem poetae respexeris, quem ille Scaevolae, Crassi socero dedit: poeta [1]) Scaevolam dicentem facit Albucio cuidam Graeculo: *Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis!* Utitur hic quoque poeta Graeco vocabulo, ut in studium Crassi illudat, quem Graecorum humanitatem prae se ferre solitum esse — de quo postea dicetur — verisimile est. Itaque ut paucis verbis comprehendam sententiam meam: L. Licinius Crassus noster fuit filius L. Aurelii Cottae; adoptatus est a Lucio Licinio Crasso quodam: quis ille fuerit prorsus ignotum est: si coniectura aliquid afferre mihi licet, illum Licinium fuisse puto, cuius Diodorus Siculus 32,20 mentionem fecit: homo aegrotus et ad familiam suam propagandam parum aptus [2]).

Ea aetate in quam L. Licinii Crassi iuventus incidit magis magisque litterae Graecae Romanis innotuerunt. Paullo antequam Crassus natus est legati Romam venerunt illi philosophi quos Cato quam citissime ex urbe expellendos curavit. Semina tamen quae illi sparserant nullo modo deleri potuerunt sed in dies creverunt. Romani Graecis litteris imbuti sunt: tunc non sufficiebat e more maiorum iuris tantum esse peritum, sed qui eruditus haberi voluit, a Graecis litteris splendorem quendam petebat. Itaque si non esset nobis traditum, Crassum nostrum novas litteras degustasse, e condicione temporum verisimile esset praesertim cum e familia clarissima esset [3]). Neque vero a Graeco doctore eruditus est, sed a Romano, qui litteras Graecas addidicerat.

L. enim Coelius Antipater magister eius fuit. Fuit ille [4]) eques Romanus, non libertinus; secutus Silenum Graecum,

---

[1]) Lucili rell. fragm. inc. XXXIII.

[2]) Locus difficillimus qui exstat in Pomponii lib. de origine iuris Dig. I. Tit. II, 2, 40 explanatur, si statuimus *fratrem* idem esse ac fratrem patruelem et P. Mucium Scaevolam a fratre eius adoptatum esse a quo Licinius noster adoptatus est. cf. de hoc loco quae Perizonius animadv. histor. ed. Harl. p. 371 dixit.

[3]) De eruditione sua ipsum Crassum dicentem introducit III, 20, 74; cf. de orat. I, 34, 154. Quint. X, 5, 1. Quod Crassus dicit se Ennium imitatum esse, Coelius quoque ilum aemulatus est. Peter vett. histor. rell. I, CCXVIIII.

[4]) Peter vett. histor. Rom. rell. I, CCXIII. Cic. de legg. I, 2, 6; de or. II, 12, 54; Brut. 26, 102.

Hannibalis laudatorem et Fabium[1]), belli Punici secundi scriptor exstitit: novavit in rebus gestis describendis, quod non more annalium scriptorum res gestas populi Romani simpliciter narravit[2]), sed ex tot tantisque rebus memoratu dignis partem quandam sibi elegit, quam accuratius describeret; deinde quod primus[3]) inter scriptores Romanos eorum quoque scripta adhibuit, qui populi Romani adversariorum res gestas narraverunt: denique quod splendoris aliquid historiae addidit[4]), res auxit et exornavit, nonnunquam in laudem populi Romani depravavit[5]), ita ut si uno verbo complectar, ῥητορικῶς eum historiam scripsisse historiamque opus oratorium ei visam esse dicam. Huius ratio dicendi quae fuerit apparet: certe effecit ut Crassus fieret orator. In alia quoque disciplina Antipater laudem sibi paravit: iuris valde peritus fuit[6]): sed hic quoque eloquentia magis quam scientia praestitit[7]): itaque si eius eruditio ad Crassi ingenium alendum acuendumque valuit, ut dicere posset egisse videtur. Si igitur comprehendere volemus, qualis fuerit eruditio, qua Antipater ingenium Crassi perpolivit, eum eleganter nec inscite de quaque re potuisse dicere statuemus, funditus autem animum Crassi Graecis litteris imbutum fuisse statuere prohibemur ea re, quod tempus ei defuit ad discendum et quod Cicero[8]) Crassum ut hominem Graecum praedicat, non ex disciplina iuvenili factum est, sed usus et vita cotidiana magistri eius fuerunt. Recte ipse Cicero[9]) Crassum facit confitentem: 'Ego enim sum is, qui cum summo studio patris in pueritia doctus essem et in forum ingenii tantum quantum ipse sentio, non tantum quantum ipse forsitan vobis videar detulissem, non possim dicere me haec quae nunc complector, perinde ut dicam discenda esse didicisse; quippe qui omnium maturrime

---

[1]) Wölfflin, Antiochos von Syrakus und Coelius Antipater p. 46; 79. Peter I, CCXXX.

[2]) Wöfflin p. 79.

[3]) Wöfflin p. 45.

[4]) Wöfflin p. 62.

[5]) Wöfflin p. 29.

[6]) Cic. Brut. 26, 102.

[7]) Pompon. de orig. iur. § 40.

[8]) Cic. de orat. II, 1, 2.

[9]) Cic. de orat. III, 20, 74.

ad publicas causas accesserim annosque natus unum et viginti nobilissimum hominem et eloquentissimum in iudicium vocaverim; cui disciplina fuerit forum, magister usus et leges et instituta populi Romani mosque maiorum'. Id autem facile concedamus eum fere nunquam discere desiisse, familiaritate iunctum C. Furio Aculeoni [1]), iuris peritissimo, qui domi apud eum vixit, quem magistrum huius disciplinae sibi fuisse dicit cum Q. Mucio Scaevola augure [2]), socero, cuius praeceptis et libellis in causis agendis usus est [3]).

Annos natus unum et viginti [4]) Crassus ad rem publicam accessit: accusavit 635/119 C. Papirium Carbonem, qui anno ante consul fuerat [5]). Zumptii [6]) sententia qui censet causam 636/118 actam esse, refutatur, cum praetor, apud quem Zumptius causam dictam esse ipse dicit, Q. Fabius Maximus Eburnus [7]) 638/116 consul fuerit; itaque, cum biennium illo tempore servandum fuerit, 636/118 e lege annali praetor non fuit, sed anno ante. Causa, qua C. Papirius in iudicium vocatus est, non est tradita. Pighius [8]) et C. T. Zumptius [9]) maiestatis illum accusatum esse coniecerunt, sed hanc sententiam iure A. W. Zumptius [10]) reiecisse mihi videtur. Si vero rei publicae statum et C. Papirius Carbo quid egerit quibusque in rebus versatus sit spectaverimus apparebit, qua de causa eum Crassus in iudicium vocaverit. C. Papirius Carbo [11]) cum tribunus pl. esset 623/131 ut popularium rem sustineret legem tabellarium promulgavit, idem [12]) rogationem de tribunis pl. reficiendis tulit: quae lex cum Scipio et Laelius dissuasissent repudiata est. Fuit Carbo qui Africanum in contione interrogavit, quid illi de Tiberio Graccho interfecto videretur [13]). Tantum odium optimatium prae se tulit, ut Africano clam inter-

---

1) Cic. de orat. I, 43, 191. II, 1, 2. I, 55, 234. cf. Peter vett. hist. Rom. rell. CCXV annot.

2) Cic. de orat. I, 55, 234.

3) Imprimis in causa Curiana: de orat. I, 57, 242. Cic. pro Caec. 24, 69.

4) Error Taciti (dial. de orat. 34) notandus, qui nono decimo anno aetatis eum accessisse dicit. cf. de hac re Meyer fragm. oratt. Rom. p. 294.

5) Lange III, 49.

6) A. W. Zumpt, Criminalprocess der Römer p. 470 Anmerk.

7) Cic. de orat. I, 26, 121.

8) Annal. III, 81. 9) de iud. repet. I, 27. 10) Criminalprocess p. 471.

11) Lange III, 20. 12) Cic. Lael. 25, 96. 13) Val. Max. VI, 2, 3.

fecto necis socius esse diceretur[1]). Carbo quoque inter tresviros agris dandis assignandis fuit, qui legem agrariam quam C. Gracchus pertulerat perficerent[2]). Sed paullo post Carbo, qui fuerat optimatium inimicissimus ad optimates transiit, quique antea a popularibus steterat, cum 634/120 consul esset factus, L. Opimium apud populum defendit, qui C. Gracchum interfecerat, cum a Q. Decio tribuno pl. perduellionis accusatus esset[3]); qua in causa nihil de nece C. Gracchi negabat, sed iure pro salute rei publicae interfectum dicebat[4]). Iure igitur Carbonem Lucilius[5]) satirarum scriptor inter homines eo tempore sceleratissimos refert: Neptuni filium dixit, cum undas maris mobilitate et levitate[6]) aequaret. Sed Carbo neque veterum inimicorum animos sibi conciliavit neque novos amicos paravit et optimates cum rei suae Carbonem neque decus neque dignitatem afferre intellegerent quod eum amitterent non aegre tulerunt. Hunc Carbonem Crassue sibi elegit quem accusaret. Hanc enim viam iuvenes nobiles illo tempore ingredi solebant ut civium oculos in se converterent et se civibus commendarent, quia nec odisse improbos nec simultates provocare nisi ex fiducia bonae mentis videbantur[7]). Exercebant his accusationibus iuvenes illas artes, quibus a rhetoribus Graecis eruditi erant[8]): odium malitiae et levitatis in rebus publicis prae se tulerunt, non ut salutem patriae tutarentur sed ut sibi gloriam ex accusationibus pararent. Ut autem accusationibus inter se vexarent nobiles, natura et necessitate factum est. Nobiles enim[9]) se non civitatis causa, sed civitatem ipsorum causa esse putaverunt: ut quam maximum commodum e republica peterent, in rebus gerendis versabantur. Sed haec sententia, ut erat perversa, ita fructus protulit corruptos. Quid enim obfuit quominus unusquisque nobilium cum in commodo tantum civium communionem positam videret, alios si commodo suo impedimento esse putaret, pervertere et opprimere studeret? Hinc illae inimi-

---

[1]) Cic. de orat. II, 40, 170. [2]) Lange III, 35. Liv. per. LIX.
[3]) Lange III, 49. [4]) Cic de orat. II, 25, 106.
[5]) Lucili sat. rel. fragm. inc. XXXIV (Cic. de nat. deor. I, 23, 63). Gellius noct. Att. XV, 21 aliter interpretatus est: idem esse ac immanem.
[6]) Cic. Brut. 27, 103 *perpetua levitas.*
[7]) Quintil. XII, 7, 4. [8]) Lange II, 299.
[9]) Lange II, 181.

citiae [1]) exardebant quibus res publica Romanorum illo tempore agitata est, hinc Crassi accusatio Papirii. Crimen ergo quo Crassus Papirium in iudicium vocaverit, notum non est. Cum Crassus [2]) apud Q. Fabium Maximum Eburnum orationem habere incepisset, pudore quem Cicero in Crasso fuisse dicit [3]) et timore exanimatus est. Sed Q. Fabius ille, quem praetorem fuisse ex hac re concludimus, simulac Crassum fractum ac debilitatum metu vidit, consilium dimisit: e qua re apparet qualis voluntas optimatium in Carbonem fuerit. Qua [4]) in causa cum servus Carbonis scrinium signatum domini adtulisset, Crassus servum vinculis constrictum cum scrinio quod non aperuerat remisit. Justitiae summae id exemplum Valerio Maximo visum est: sed Crassus timuisse videtur, ne plurium nomina ei deferenda essent, si scripta Papirii perlegisset. Carbo quamquam non mediocris orator erat, adolescentuli impetum non tulit: damnatus est. Hac in re non tantum eloquentiae Crassi tribuendum puto: nam quamquam ingenium ei non deerat, tamen iuvenis veteratorem illum non perculisset, si optimates ei favissent. Carbo se sua manu interfecit [5]), cum fore ut damnaretur intellexisset [6]).

Haec causa quamquam magnam laudem et admirationem Crasso peperit, annis ultimis vitae gaudio ei non fuit. Postquam enim ipse a popularibus, quorum rem iuvenili ardore capessiverat, ad optimates transiit cumque intellexisset, in turbulentissimo statu rei publicae hominum sententia quam non perstaret, se nullius rei tam poenitere dixit, quam quod unquam C. Carbonem gloriae causa et ostentationis in iudicium vocasset [7]).

Viam, quam Crassus accusatione Carbonis ingressus erat, laude et admiratione excitatus quas inde sibi comparaverat tenuit et popularium rem summo studio capes-

---

[1]) Lange II, 208, 299.

[2]) Cic. de orat. I, 26, 121.

[3]) Cic. de orat. I, 26, 122.

[4]) Val. Maxim. VI, 5, 6.

[5]) Meyer oratt. Rom. fragm. p. 294. Mommsen Röm. G. II[5], p. 129.

[6]) Cic. Brut. 27, 103, ad famil. IX, 21, 3. Quod Val. Maximus eum in exilium missum esse dicit: erravit, id quod Valerio non uno loco accidit. cf. Perizonius animad. hist. p. 97 ed. Harles.

[7]) Cic. Verr. accus. III, 1, 3.

sivit; quin non solum accusatione et eloquentia eos qui ab optimatibus stabant profligavit, sed etiam rebus gerendis animos popularium sibi conciliare eorumque rem sustentare studuit. Anno enim postquam Carbo damnatus erat 636/118 orationem de colonia Narbonensi habuit [1]). M. Porcio Catone Q. Marcio Rege coss. lex lata est ut colonia civium Romanorum in Galliam ulteriorem deduceretur [2]). A quo haec lex lata sit, memoriae proditum non est: cum lege Thoria cohaesisse homines docti putaverunt, qua lex agraria Sempronia abolita est [3]). Optimates enim ne nimiam materiam invidiae darent, cum cives auxilio privarent, quod illis ex agris assignandis et coloniis deducendis redundabat, nova colonia deducenda animos placare studerunt. Sed quamquam legem de colonia deducenda Narbonem ab optimatibus ortam esse verisimile est, maior tamen pars senatus in eadem sententia stetisse non videtur. Metuebant sine dubio ne si agri provinciae civibus assignati essent aerarii reditus imminuerentur [4]); avaritia equitum obfuit, qui sibi illos agros parare in animo habebant, quibus cives multi in feliciorem statum restitui potuerunt: commodius denique visum plebem infimam largitionibus devincire quam liberorum civium per orbem dispersorum rem tueri. Itaque rogatio contra coloniam Narbonensem lata est [5]). Quanta stultitia et avarititia optimatium fuerit, tum apparuit. Laborabat enim urbs multitudine civium: inde, id quod ubique accidit, paupertas, inde dissensiones inter cives exortae. Quicunque autem mala rei publicae cognoverant agris assignandis et coloniis deducendis numerum civium pauperum si non minuere attamen Romam eorum invidia liberare conati sunt: Flaminii Laelii Gracchi. Sapientissimorum igitur in numero habendus esset Crassus si con-

---

[1]) Qua de causa Cicero in narrandis rebus gestis Crassi (Brut. 43, 105 s[3]) ordinem temporis non servavit, cum prius Liciniae defensionis, deinde orationis de colonia Narbonensi mentionem faceret, inde explicandum quod Crassum non tantum popularem videri voluit, quantum fuisse constat: itaque Carbonis accusationi defensionem Liciniae adiunxit, qua Crassus optimatium rem sustentavit: eandem ob causam dicit: *Crassum aliquid voluise attingere* e. q. s. quamquam ille totum e popularibus dedit.

[2]) Velleius Paterculus ed. Kritz I, 15, 5; II, 7, 8.

[3]) Lange III, 50. Madvig opusc. acad. I, 290.

[4]) Ellendt ad Cic. de or. II, 55, 223.

[5]) Cic. pro Cluent. 51, 140.

staret eum sola cupiditate patriae servandae coloniam suasisse. Oratione enim quam in dissuasione rogationis eius, quae contra coloniam Narbonensem lata erat, habuit quantum potuit de senatus auctoritate detraxit[1]: maturitatem ingenii hac oratione adulescentulus ostendit[2]. Neque solum eloquentia Crassus popularium rem adiuvit, ipse coloniam deduxit[3]. Civitatem non amiserunt qui in hanc coloniam deducti sunt[4]. Aliae autem causae accessisse videntur, quibus inducti optimates coloniam deduci passi sunt. Paullo ante enim L. Valerius Flaccus ut Massiliensibus auxilium ferret, primus exercitum in Galliam ulteriorem duxerat[5] et Salluviis bellum intulerat; deinde C. Sextius Calvinus Aquas Sextias castellum muniverat[6]; sed paullo infirmius visum; itaque ut haec provincia, per quam aditum in Hispaniam Romani sibi parabant, regno adiungeretur, cives Narbonem deducendi videbantur. Propugnaculum imperii Romanorum Narbo factus est[7]: id quod cognomine quod Narbo accepit indicatur: in honorem enim Martis dei Martius[8] dictus est velut Carthago Iunonia[9] coloniaque quae Tarentum deducta erat Neptunia[10] vocatae sunt. Altera[11] causa accessisse videtur, qua commoti equites coloniae deducendae non obstabant: emporium sibi parabant, si Narbo in potestate Romanorum erat, unde commercium cum Britannis haberent.

Ita duabus primis orationibus quas habuit Crassus popularium causae sese addictum ostendit: non iis impulsus est causis, quibus Gracchi excitati sunt, quibus qui feruntur memoriam et laudem sibi aeternam parant: amore patriae; sed laudis cupiditate et ostentatione inductus, ut innotesceret Carbonem accusavit, coloniam deduxit. Postquam quae petiit est assecutus, eum a popularium causa recessurum esse verisimile fuit.

Causa[12] proxima de qua nobis aliquid traditum est, in

---

1) Cic. pro Cluent. 51, 140. 2) Cic. Brut. 43, 160. 3) Cic. l. l.
4) Ernestus Herzog, Gallia Narbon. p. 50. 5) Lange III, 26. 6) Lange III, 51.
7) Cic. pro Fonteio 1, 3. 8) Error Zumptii notandus qui (comm. epigraph. p. 313) coloniam a consule Marcio dictam putat.
9) Plutarch. C. Gracch. 11. Solin. 27.
10) Lange III, 48.
11) Mommsen II, 167.
12) Lange III, 53. Drum. IV, 59. Zumpt Criminalprocess. 500. Meyer 298.

qua Crassus post orationem de colonia Narbonensi verba fecit, fuit Liciniae virginis Vestalis [1]), quae cum Aemilia et Marcia incesti rea est facta [2]). Res fuit haec. Aemilia virgo Vestalis cum L. Betucio Barro [3]) moechata est. Eadem Liciniam et Marciam socias stupri fecerat. Manius [4]) autem servus, cum praemium quod ei promissum erat non accepisset, delator est factus. Accusatae sunt virgines incesti: sed L. Caecilius Metellus [5]) pontifex maximus et collegium pontificum ad quos nomina virginum delata erant, Aemiliam solam damnavit, ceteras absolvit. Tum Sex. Peducaeus tribunus pl. in contione questus, quod collegium pontificum male iudicasset, legem de incestu tulit [6]) et pervicit ut quaestio extraordinaria haberetur. Populus inde L. Cassium, qui scopulus reorum dicebatur, creavit qui de virginibus quaereret isque virgines duas et complures [7]) equites Romanos [8]) socios incesti damnavit. In hac causa Crassus pro Licinia orationem habuit. Quam ob rem Crassus ab ea advocatus sit dici non potest: e nomine conici licet, quod ex eadem familia fuerit. Ne id quidem constat, quo anno res sit acta: Licinia enim, ubi primum nomen ad collegium pontificum delatum est, a. d. XIII. Kal. Jan. [9]) anni 640/114 causam dicere est iussa. Cum autem absoluta esset, 641/113 iterum accusata est et cum apud L. Cassium causa esset agenda, Crassus eam defendisse videtur: Cicero enim eum viginti septem annos natum dicit [10]): orationem igitur pro Licinia 641/113 habuisse videtur. Ex hac causa inimicitiae fluxisse videntur quas inter Crassum et Memmium exortas esse constat [11]): Memmius enim et ipse 643/111 legem de incestu tulit [12]); sed res vix explanari potest. Hac quoque causa Crassus ductus esse videtur, ut popularium rem quam antea summo studio capessiverat desereret: nam postea non inveniemus eum ulla in re a popularibus stetisse.

Quo anno Crassus quaestor fuerit, demonstrari non

---

[1]) Cic. Brut. 43, 160. [2]) Liv. LXIII. Dio Cass. frgm. 87. Plut. Quaest. Rom. 360 ed. Hutten.

[3]) E coniectura Franc. Fabricii: Pigh. III, 109. Acro ad Hor. I, 6, 30.

[4]) Dio Cass. frg. 87 ed. Dindorf. [5]) Ascon. in Milon. 46.

[6]) Lange II, 554; 648.

[7]) Zumpt Criminalpr. 500 Anm. [8]) Iul. Obseq. 97.

[9]) Fenestella apud Macrob. Saturnal. I, 10.

[10]) Cic. Brut. 43, 160.

[11]) Cic. de orat. II, 59, 240. II, 66, 267. [12]) Lange II, 648.

potest: Zumptius [1]) coniecit eum annum tricesimum agentem i. e. 644/110 quaesturam gessisse: sed verisimile est [2]) Romanos iam anno aetatis vicesimo septimo quaesturam petiisse: itaque id tantum constat eum ante annum 641/113 quaestorem factum non esse. Hoc autem anno quominus statuamus magistratu eum functum esse ea res obstat, quod hoc anno Romae Liciniam defendit; fuit autem quaestor in Asia [3]) provincia. Pighius [4]) anno 642/112 quaestorem eum fuisse putat. Collegam habuit Q. Mucium Scaevolam [5]), filium pontificis, hominem iuris peritissimum, quem in omnibus magistratibus praeter tribunatum et censuram collegam habuit. Provincia in qua Crassus quaesturam egit fuit, ut diximus, Asia. Occasionem oblatam humanitatem Graecam cognoscendi Crassus non omisit: cum enim in Asia esset, Metrodorum Scepsium Academicum, qui memoriae vi notus fuit et hanc artem consummavit [6]), audivit et illo doctore eloquentiae usus est [7]). Cum autem ex Asia decessisset, Athenas profectus philosophos qui tum florebant audivit. Erat enim cum [8]) Crasso Marcellus iuvenis philosophiae studiosissmus; hic Crassum impulit ut Charmadam Academicum, Carneadis discipulum, audiret: disputavit autem non solum cum eo, sed etiam Platonis Gorgiam cum eo legit [9]). Sed quamquam Cicero [10]) multos philosophos enumerat quos audivisse Crassum dicit, tamen ille humanitate tantum non est imbutus, ut non Athenis barbariam prae se ferret. Biduo [11]) enim post Athenas venit quam mysteria Eleusinia minora, quae vere celebrabantur, peracta erant. Crassus cum initiari vellet, ut referrentur petiit. Sed Athenienses quod Demetrio Poliorcetae concesserunt, quaestori

---

[1]) Zumpt, über den Bestand der philos. Schulen in Athen. Abhandl. der Berl. Akad. 1842 p. 67 u. Anm: „*gewiss nicht früher als* 110.“

[2]) Lange II, 600.

[3]) Cic. de orat. III, 20, 75. [4]) Annal. III, 119. [5]) Cic. Brut. 43, 161.

[6]) Plinius nat. hist. VII, 24, 89. [7]) Cic. de orat. III, 20, 75. II, 90, 365.

[8]) Cic. de orat. I, 13, 57; de hoc Marcello nihil praeter id notum quod 663/91 aedilis fuit.

[9]) Cic. de orat. I, 20, 93, nisi putemus Ciceronem id finxisse, ut Crassum ut hominem Graecum praedicaret: Charmadas an Crassum admiratus sit (I, 20, 93) valde dubitandum est.

[10]) Cic. l. l.

[11]) Cic. de orat. III, 20, 75.

Romano denegaverunt. Crassus autem dolore repulsae iratus Romam profectus est.

Cum Romam rediisset, in turbas incidit quibus res publica e bello Iugurthino fluctuabatur. Num ipse ad optimates defendendos, qui accusationibus eo tempore a popularibus vexabantur, aliquid adtulerit incertum est: L. Calpurnium Pisonem defendisse videtur: sed de hac re dicetur, ubi de causis agam in quibus Crassus versatus est.

C. Mario L. Cassio Longino coss. 647/107 Crassus annos triginta tres natus[1]) tribunus pl. fuit. Quamquam hunc magistratum ut popularium rem capesseret eum petiisse exspectandum erat, cum antea tam acri studio eorum rei deditus esset, tamen certi nihil de tribunatu eius notum est. Consulto agitationibus sese abstinuisse videtur. Collega eius C. Caelius Caldus[2]) legem tabellariam[3]) pertulit et C. Popillium Laenatem perduellionis accusavit, sed Crassus in hac re conticuit. Ita tacitus[4]) fuit eius tribunatus, ut, nisi Crassus apud praeconem Q. Granium cenavisset idque Lucilius narrasset[5]), plane nesciremus eum tribunum fuisse. Fuit autem Q. Granius praeco familiaritate cum Crasso coniunctus[6]): homo dicacissimus, qui facetiis persaepe nobilissimos homines perstrinxit. Crassus qui ipse facetissimus esset ex ingenii similitudine hunc Granium adamasse videtur. Num Granius praeco affinitate quoque cum Crasso coniunctus fuerit, cum inter eum et C. Marium affinitatem fuisse suspicati sint homines docti, Marii autem filius Crassi filiam in matrimonium duxerit, probari non potest[7]).

Anno qui secutus est L. Licinius Crassus ad optimates transiit. Si in memoriam revocaveris, quam acri studio adulescentulus popularium rem sectatus sit, gravibus causis ut hanc viam desereret inductum eum esse statuamus necesse est. Conati enim sunt hoc anno optimates iugum depellere quod equites apud quos tum iudicia fuerunt iis imposuerunt. Itaque consul anni 648/106 Q. Servilius Caepio, vir acer et

---

1) Cic. Brut. 43, 160. 2) Cic. de orat. I, 25, 117 *aequalis meus.*

3) Lange III, 65. 4) Cic. Brut. l. l.

5) Lucil. lib. XI frgm. VI, VII, VIII, IX. Cic. Brut. 43, 160 *bis* delendum censet Mueller.

6) Cic. de orat. II, 62, 254 *amicus Crassi* dicitur, II, 60, 244 *familiaris.*

7) Haakh, Pauly Realencyclop. III, 959.

fortis, qui in numero disertorum habitus est[1]), legem iudiciariam promulgavit[2]). Qualis fuerit illa lex explicari non potest; id tantum inter omnes constare video, pro senatoribus legem fuisse latam, equitibus fuisse detrimento. Conici potest, Caepionem hac lege equitibus iudicia eripere conatum esse sive eorum potentiam quam iudiciis tenebant ea ratione minuere, ut senatores numero iudicum adicerentur. Sed cum de lege Servilia memoriae perpauca prodita sint, de hac re certi nihil dici potest. E scriptis historicorum qui aut aequales Servilii fuerunt aut non multum tempus post libros ediderunt nihil nobis restat: non magis e Ciceronis verbis quidquam concludi potest; qui tamen de hac lege aliquid tradiderunt eorum auctoritati nihil in hac quidem re tribuitur. Quaeritur denique sitne lex perlata. De qua re homines docti dissentiunt. Uni enim, quod Tacitus[3]) et Cassiodorius[4]) Obsequensque[5]) tradiderunt, quodque Valerius Maximus[6]) Caepionem patronum senatus appellatum dixit, legem perlatam esse arbitrantur; alteri perlatam quidem eam, sed non multo post lege Servilia Glauciae abrogatam esse dicunt; praeterea sunt qui legem perlatam negant, sed promulgatam suasam antiquatam: quorum sententiam probo. Etenim quod Tacitus dicit hac lege senatoribus iudicia esse reddita, ei rei nihil fidei inest, quoniam constat Taciti auctoritatem in antiquitatibus esse levem[7]). Cassiodorius autem et Obsequens errasse mihi videntur: praeterea ex verbis paucis eorum non potest concludi legem perlatam: iussit forsitan lex quam illi legerunt, ex quorum scriptis Cassiodorius et Obsequens sua decerpserunt, iudicia communicari, sed quaeritur factumne sit ut communicarentur; quod denique Valerius Maximus Caepionem patronum senatus dictum dicit, is legis, qua lege perlata ita sit appellatus, nullam mentionem facit. Quid obstat quominus putemus Cae-

---

1) Cic. Brut. 35, 135.
2) Cic. de inv. I, 49, 92.
3) Tacitus annall. XII, 60.
4) Cassiodorus ed Mommsen 621.
5) Obsequens ed. Jahn. 41.
6) Val. Maxim. VI, 9, 13.
7) Niebuhr Röm. Gesch. I, 327 Anm: „*Tacitus ist in den Alterthümern der Verfassung wenig unterrichtet.*“

pionem propter studia sua patronum appellatum esse, sive lex perlata sive repudiata est? Praeter hos scriptores autem nullus ne obiter quidem hanc legem attigit excepto Cicerone; Cicero autem, qui ab illo tempore quo promulgabatur propius abfuit, ubicunque de hac lege verba fecit nihil dixit unde concludi posset legem esse perlatam. Si vero lex perlata et iudicia senatoribus reddita essent, futurum fuisse mihi persuasum est ut Cicero Crassi, qui legem suasit, eloquentiae laudem summam daret: quippe cuius eloquentia lex stetisset, qui iugum fregisset quod equites senatoribus imposuissent, qui libidinem refrenasset et quae huius modi dicuntur. Nec vero quidquam tale Cicero dixit, cum modo suasisse eum legem nobis tradiderit. In contione autem maxima civium Crassus splendida oratione [1]) legem suasit, ac tam clara fuit illa oratio, ut Cicero eam a pueritia magistram dicendi sibi fuisse diceret [2]). Quae in hac oratione dixit, iis contraria fuerunt, quae in ea quam de colonia Narbonensi habuit, suaserat; illa enim senatum detrectaverat, hac laudibus summe extulit. Qua de causa Crassus sententiam suam mutaverit, pro certo affirmari non potest: videtur tamen populares propter denuntiationes, quas in defensione Liciniae aliisque in causis noverat, despicere coepisse: et ipse cum in ordine magistratuum progrederetur quid periculi ex his denuntiationibus immineret cognovit. In paucis dictis quae nobis de hac oratione restant inest furor quidam et veritas: ut in illo: *ubi libido dominatur, est innocentiae leve praesidium*, et, *eripite nos e faucibus* e. q. s. [3]).

Suspicati [4]) sunt homines docti contra legem C. Memmium dixisse: sed ne id quidem constat: Crassum in contione [5]) aliqua contra Memmium dixisse notum est: facetiis superbiam eius carpsit; post annum 645/109 [6]) factum est; sed eum in hac lege suadenda contra Memmium dixisse, e Ciceronis verbis non potest concludi.

---

[1]) P. Rutilius Rufus genus dicendi non probavit: de orat. I, 53 227: *turpiter et flagitiose dicta* esse dixit.

[2]) Cic. Brut. 44, 164.

[3]) Meyer fragm. 299.

[4]) Lange III, 64. Ellendt histor. eloq. Rom. LXXIII. Drumann IV, 63.

[5]) Cic. de orat. II, 66, 267. II, 59, 240 *olim.*

[6]) Lange III, 64.

Pro Q. Servilio Caepione Crassus postea orationem habuit, defensiunculam [1]), non brevem ut laudationem, sed ut orationem brevem. Quaeritur autem quo anno et qua in causa eam habuerit. Disserendum hic de loco Ciceronis, qui in Brut. 44, 162 nunc quidem habet: *in consulatu* Crassum pro Caepione dixisse: sed id si statuamus, decem fere annis dixit postquam res facta erat propter quam Caepio in iudicium vocatus est. Res enim ita fuit. Q. Servilius Caepio consul a. 648/106 e templo Tolosae urbis in provincia Gallia aurum, quod olim Galli e templo Apollinis Delphico rapuerant ibique condiderant, eripuerat [2]): idem cum proconsul cum Cn. Mallio sive Manilio consule contra Cimbros pugnaret, 649/105 a Cimbris victus et castris exutus est: temeritate Caepionis clades accepta est. Accusatus igitur a tribunis pl. est: de amissione exercitus se defendit, fortunam increpabat [3]). Damnatus est. Quam poenam passus sit, omnino quam viam causa tenuerit ignoratur. Id quidem verisimile esse videtur, eum non multo post id tempus quo clades accepta est, in iudicium vocatum esse. Deinde rogatione L. Cassii Longini [4]), qui 650/104 tulerat, ut quem populus damnasset cuive imperium abrogasset in senatu non esset, e senatu eiectus videtur. Sed populus ira excitatus longius etiam videtur provectus esse. Propter aurum enim Tolosanum C. Norbanus trib. pl. quaestionem extraordinariam rogavit [5]): quo anno id actum sit, de hac re dubitatur; putant enim homines docti anno 659/95 factum esse, cum Cicero Crassum, qui hoc anno consul fuit, in consulatu pro Caepione dixisse dicat. Sed haec sententia non probatur. Non eam quidem causam probo qua Mommsen hanc sententiam refutandam putavit: quod enim in Granii Liciniani fragmentis [6]) est: *Cn. Manilius ob eandem causam quam et Cepio L. Saturnini rogatione e civitate est cito* (Bernays: *plebisscito*) *eiectus*. Mommsen [7]) haec verba ita

---

[1]) Brut. 44, 162; ita e coniectura Ludovici Langii, viri doctissimi, scribendum puto: cf: *quaestiuncula* de orat. I, 22, 102.

[2]) Dio Cass. fragm. 90, 91. Strabo IV, 113. Iustin XXXII, 3, 11.

[3]) Auct. ad Herenn. I, 24.

[4]) Lange III, 68. Ascon in Cic. or. pro Cornel. fragm. 26.

[5]) Cic. de nat. deor. III, 30, 74.

[6]) Grani Liciniani fragm. ed. Pertz 10.

[7]) Mommsen Röm. Gesch. II, 182 Anm.

interpretatus est: Caepionem rogatione L. Saturnini esse eiectum eademque Cn. Manilium. Cum autem L. Saturninus 654/100 esset occisus, rem anno 659/95 non esse actam. Sed facile concedes hanc quam Mommsen putat sententiam in his verbis non inesse. Scriptor ille nihil dicit nisi Caepionem ob eandem causam eiectum esse qua Manilius qui Saturnini rogatione eiectus est. E verbis autem apparet Caepionem propter cladem acceptam in exsilium missum esse: nam et ipse Manilius propter hanc cladem e civitate eiectus et in exsilium pulsus est. Propter cladem acceptam autem 650/104 accusatus videtur esse. Itaque si hoc anno Caepio in exsilium missus est, 659/95 accusatus non est, et Crassum in consulatu pro eo dixisse statuendum non est. At dixit Crassus pro Caepione: non de clade accepta; nam Caepio ut homo disertus se ipse defendit. Itaque in alia causa pro Caepione eum orationem habuisse verisimile est: cum C. Norbanus rogationem de auro Tolosano tulisset. Quo anno id fecerit, non constat; sed in consulatu Crassi Norbanus ipse accusatus est[1]: itaque hoc anno neque Norbanus rogationem illam tulit neque Crassus pro Caepione dixit. Ciceronis igitur verba corrupta esse videntur: quomodo corrigenda sint non patet. Verba *in consulatu* fortasse interpolatoris sunt, qui propter verba *postrema censoris oratio* antea consulis mentionem desiderabat. Fortasse in vocabulo *consulatu* latet *peculatus*[2].

E re videtur omnia pertractare quae nobis de Caepione tradita sunt. Rogationi[3] Norbani L. Aurelius Cotta et T. Didius collegae intercesserunt: tumultus est factus, tribuni qui intercesserunt e rostris deiecti sunt, M. Aemilius Scaurus lapide percussus est. Quaestione facta Caepio damnatus est eiusque bona publicata sunt. Familia eius hac poena periit: filiae[4] enim eius corpore quaestum fecerunt. Quid de ipso Caepione factum sit, de hac re dissentiunt scriptores. Disserendum hic de binis locis Ciceronis et Valerii Maximi. Cicero[5] enim Q. Caepionem quendam Smyrnae exsulem

---

[1]) Mommsen Röm. Gesch. II[5], 211. [2]) L. Langii est coniectura. E verbis per compendium scriptis *c. peculatus consulatu* corruptum videtur.

[3]) Cic. de orat. II, 47, 197.

[4]) Timagenes apud Strab. IV, 1, 13.

[5]) Cic. pro Balbo 11, 28.

vixisse dicit: ante P. Rutilium Rufum qui anno 662/92 damnatus est eum nominat: itaque verisimile est eundem fuisse Caepionem qui damnatus erat et qui Smyrnae exsul vitam egit. Propterea homines docti putant Caepionem nostrum exsilio damnatum esse, id quod e Granii Liciniani verbis elucere vidimus. Sed Cicero ipse in Tuscul. disputt. lib. V, 5, 14 inter illos eum enumerat qui summis cruciatibus affecti sunt: inter M. Atilium Regulum et M'. Aquilium [1]). Itaque nescio an ex his nobis concludere liceat Caepionem in carcerem coniectum in quaestione, quae de auro Tolosano habita est, eculeum conscendisse et deinde in exsilium missum esse. Congruunt haec, si rem ita nobis fingimus, cum iis quae Valerius Maximus [2]) nobis tradidit: L. Rheginum tribunum pl. veteris amicitiae memorem eum publica custodia liberasse. Ipse autem Valerius Q. Caepionem in publicis vinculis spiritum deposuisse dicit corpusque eius funesti carnificis manibus laceratum in scalis Gemoniis spectatum esse. Rem exaggerasse Valerius mihi videtur. De praeturae Caepionis splendore, de triumphi claritate, de maximi pontificis sacerdotio [3]), cuius ille mentionem fecit, nihil notum est; quae finxit Valerius ut Caepionis sors eo miserior videretur. Eum eculeum concendisse apud scriptores quorum libris usus est repperit. Sed eum perisse corpusque eius laceratum esse Valerius ex aequalium suorum sententia finxit ut qui crudelissimis spectaculis gauderent et imperatorum saevitia corrupti essent. Itaque ut paucis sententiam meam comprehendam: Q. Servilius, cui clade accepta imperium abrogatum erat, in iudicium vocatus est et se ipse defendit: sed damnatus et e senatu eiectus est. Deinde Norbanus quaestionem de auro Tolosano rogavit: Caepio in carcerem coniectus et eculeum conscendit. Res fuit manifesta; itaque L. Licinius Crassus oratiunculam sive laudationem habuit. At Caepio absolutus non est iamque in eo fuit ut corpus

---

[1]) Cicero de orat. II, 47, 197: de *gravi miserabilique casu* Caepionis dicit: Gellius III, 9, 7 *misero cruciabilique exitu* eum perisse. Val. Max. VI, 9, 13.

[2]) Val. Max. IV, 7, 3.

[3]) Cf. de hac re quae Bardt attulit in libello suo qui inscribitur: die Priester der vier grossen Collegien aus römisch-republikanischer Zeit. Programm des k. Wilhelms-Gymnas. Berl. 1871. p. 6: negat Q. Servilium Caepionem pontificem maximum fuisse.

eius a carnifice laceraretur cum a L. Rhegino tribuno pl. publica custodia liberatus est. Smyrnam in exsilium discessit ibique civis factus est. Si alterum exemplum exstaret quo probarem cives Romanos eculeum conscendisse, non dubitarem quin ita uti dixi rem sese habuisse dicerem; nullum tamen exstat. At ne criminis quidem, quo Caepio in iudicium vocatus est, sacrilegii ullum exemplum exstat, et in hac re turbis illis, quibus tum res publica fluctuabatur, aliquid concedendum puto.

Aedilitatem[1]) curulem L. Licinius Crassus eodem anno quo Q. Mucius Scaevola P. f. gessit; quo anno notum non est: non ante annum 648/106 quo Cicero natus est, illum aedilem fuisse ex eius verbis colligimus qui *se illam aedilitatem vidisse dicit*[2]). Cum Crassus 614/140 natus esset, lege Villia annali ante annum 651/103 aedilis fuisse non potest, cum legitimus annus huius honoris tricesimus septimus aetatis esset. Ex eadem lege non post annum 653/101 aedilitatem gessit, cum, si praetor et consul fuit ut fuit, biennium inter hos magistratus non fuisset: anno enim 659/95 consul fuit. Itaque aut 651/103 aut 652/102 aut 653/101 aedilis fuit. Pighius[3]) anno 653/101 eum aedilitatem gessisse dicit, sed argumentis nec probavit nec probari posse puto. Aedilitas Crassi et Scaevolae cum cottidianis et vernaculis rebus populo satisfacere se posse non putarent[4]), apparatu et luxuria innotuit, ita ut Cicero[5]) eam inter ornatissimas eius aetatis fuisse dicat. Leonum enim complurium pugnam primi dederunt, quem ludorum splendorem Sulla Pompeius Caesar imitati sunt et superaverunt. Rem ita adornasse videntur ut Scaevola[6]) leones adveheret, Crassus scenam columnis Hymettiis quattuor[7]) adornaret, quibus postea porticum domus suae ornavisse videtur. Num eodem anno atria Licinia a L. Licinio Crasso sint aedificata, incertum

---

1) Cic. Brut. 43, 161.
2) Cic. Verr. IV, 59, 133.
3) Pigh. Annall. III, 157.
4) Cic. de orat. III, 24, 92.
5) Cic. Verr. IV, 59, 133.
6) Plin. VIII, 20, 16. Solin. 27, 22.
7) Plin. XVII, 1, 6 *quattuor*, XXXVI, 33 *sex columnis* domum ornavit. Val. Maxim. IX, 1, 4. ut homo grandiloquus *decem columnas* enumerat.

est: omnino ignoratur utrum illa atria ab eo sint nominata[1]) necne.

Praeturam L. Licinius Crassus eodem anno gessit, quo Q. Mucius Scaevola[2]), sed quo anno, traditum non est et solis argumentis internis tempus definiri potest. Cum Crassus 659/95 consul fuerit et e lege Villia annali duobus annis superioribus magistratum gerere non licuerit, anno 656/98, si suo anno magistratum gessit, praetor fuit. Eadem ratione annus definitur ante quem praeturam gerere non potuit. Anno enim 614/140 natus cum esset, 651/103 aedilis fuit, si suo anno hunc magistratum gessit, id quod certis testimoniis probari posse supra negavi. Itaque biennio tantum post praetor fieri potuit i. e. anno 654/100. Tres sunt igitur anni 654/100 — 656/98 quibus praeturam ut gereret fieri potuit. Inter hos tres annos igitur argumentis eligendus erit is annus quo Crassus praetor fuit. Teuffelius[3]), ut prius aliorum sententiam refutem, anno 654/100 eum praeturam cum Q. Mucio Scaevola gessisse e verbis Ciceronis conclusit, quae exstant in oratione pro C. Rabirio perduellionis reo 7, 21. Cicero hic eos homines enumerat, qui ad opprimendum tumultum a Saturnino et Glaucia excitatum armati in forum concurrerunt. Sequitur autem Cicero in enumerandis hominibus quendam ordinem e magistratibus, quos illi gerebant, et dignitate deductum. Primum igitur consules et senatum venisse dicit, deinde consulares qui tum erant; deinde Cicero qui secuti sunt his verbis significat: ,,cum omnes praetores, cuncta nobilitas ac iuventus accurreret: Cn. et L. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, C. Claudius, M. Drusus; cum omnes Octavii Metelli Julii Cassii Catones Pompei; cum L. Philippus e. q. s.“ Hunc locum Teuffelius ita interpretatus est: *omnibus praetoribus* significari: Cn. et L. Domitios, L. Crassum et eos qui sequuntur; *cuncta nobilitate et iuventute* Octavios Metellos Julios e. q. s. et si rationem qua utitur Cicero in enumerandis hominibus qui antecedunt respicis, nihil est quidni haec verba ita accipi mus. Numerus hominum optime cum numero praetorum congruit: sex enim praetores

---

[1]) Cic. pro. Quintio 12, 25.
[2]) Cic. Brut. 43, 161.
[3]) Pauly Realencyclop. V, 185, Anm. 1.

erant. Sed quaeritur cuius anni praetores intellegendi sunt. Teuffelius putavit hic praetores anni 654/100 enumerari: sed non respexit verba Ciceronis [1]), quibus constat eo anno Glauciam quoque praetorem fuisse: itaque septem praetores hoc anno fuerunt; id quod fieri non potuit. Itaque huius anni praetores eos fuisse negandum est. At fortasse dixerit quispiam anni 655/99 praetores designatos hic enumerari, cum res circa tempus quo comitia habebantur sit gesta [2]): a. IV. Id. Dec. enim Saturninus eiusque socii interfecti sunt. Sed ne id quidem veri simile esse videtur. Quamquam enim fieri potuit ut L. et Cn. Domitii, L. Crassus, Q. Mucius, M. Drusus eo anno praeturam gererent, tamen C. Claudium hoc anno aedilem fuisse constare video [3]): is ipse anno 659/95 praetor fuit [4]). Itaque cum eos qui a Cicerone enumerantur neque anno quo Saturninus interfectus est neque eo qui secutus est praetores fuisse verisimile sit, restat ut L. Licinium Crassum anno 656/98 praeturam gessisse putemus. Eorum [5]) igitur sententiam probo, qui hoc anno L. Licinium Crassum et Q. Mucium Scaevolam praetores fuisse putant. Sed est alia puoque causa quamobrem ita sese rem habere puto. Q. Mucius Scaevola e praetura Asiam provinciam obtinuit [6]): legatus eius P. Rutilius Rufus fuit. Qua severitate in publicanos, qua iustitia in provinciales fuerit notum est. Sed novem tantum menses provinciam administravit: causam si quaeres cur tam cito decesserit habebis, si mecum statues eum consulatum petiisse. Cum autem anno 657/97 in provincia esset, ut in tempore Romam ad comitia veniret ante tempus ei decedendum fuit. Si non hanc, aliam causam non video. Itaque si Q. Mucius Scaevola 656/98 praetor fuit, Crassus quoque hoc anno praeturam gessit, cum collega Scaevolae omnibus in magistratibus praeter tribunatum et censuram fuit [7]). De praetura Crassi nihil traditum est. Praetor urbanus sive peregrinus fuisse videtur, cum diutius quam quaestor a foro non abfuisset [8]).

---

1) Cic. Brut. 62, 224. 2) Lange III, 82. 3) Plin. nat. hist. VIII, 7.

4) Cic. Verr. II, 49. Drum II, 182. Cic. de off. II, 16. 5) Mommsen Röm. G. II 5, 213.

6) Drumann VI, 53 Anm. 5. Lange III, 89

7) Cic. Brut. 43, 161.

8) Cic. de orat. II, 90, 365.

Anno 659/95 L. Licinius Crassus Q. Mucius Scaevola consules sunt facti[1]). L. Licinius Crassus annos quadraginta quinque natus erat, qua aetate et robore et prudentia floret homo et agendi cupidus est. Neque status et condicio illius temporis iis obstabat, qui malis rei publicae mederi in animo habebant. Domi forisque pax fuit[2]). Saturnini et Glauciae tumultu oppresso unda belli civilis recubuit et causis tantum, quibus illorum socii vexabantur, esse inter cives dissensionem apparuit. Itaque consules malum quo ex bello Punico secundo civitas laborabat, si non funditus evellere tamen quantum poterant reprimere sunt conati: multitudinem enim hominum minuere studebant, qua Roma abundabat, unde quicunque novi aliquid moliebantur materiam tumultus petebant. Undique enim ex Italia ex coloniis et civitatibus foederatis Romam homines convenerunt, ut omnibus commodis fruerentur, quae ex civitate Romana redundabant. Domi enim muneribus tantum premebantur. Ut Romani orbem terrarum subigerent, Italici copias et pecuniam et naves praebuerunt; at ipsi nihil fructus acceperunt; socii belli non pacis fuerunt. Itaque quovis modo civitatem Romanam adipisci, Romani contra ob eam causam reĭcere studuerunt. At quamquam multis[3]) edictis et legibus magistratus socios a civitate prohibere conati sunt, ut Italici in suam quisque civitatem redirent impetrare non potuerunt. Astutia enim et necessitas Romanorum leges elusit magis magisque Italicorum multitudine eorum numerus Romae auctus est, qui sua condicione contenti non essent. Nam eam rationem qua sola malum reprimi potuit, ut condicio omnium sociorum aequaretur eademque omnibus esset civitas, ut societatis non solum onera tolerarent, sed etiam commoda perciperent, non adhibuerunt, quin etiam iis viris, qui hac ratione rem perficere studuerunt, avaritia inducti obstiterunt. Orta autem haec pravitas Romanorum ex eodem fonte, e quo magnitudo imperii. Cum[4]) enim propterea res Romana magna facta esset et crevisset, quod unius urbis moenibus omnes opes quibus Romani at-

---

[1]) Lange III, 87. Drum. IV, 64.
[2]) Obsequens 110.
[3]) Lange III, 87. [4]) Mommsen Röm. Gesch. II[4], 233.

que eorum socii pollebant, continebantur, futurum putaverunt ut vires imperii infringerentur resque publica turbaretur, si non Romani soli sed etiam socii civitatem Romanam consecuti imperii participes fierent. Quod autem ad constituendum imperium aptissimum fuerat, idem rei publicae detrimento esset necesse fuit, si rei publicae condicione mutata imperandi rationem mutari nollent. Ita factum est ut malum perduraret, ut qua sola via illa mala sanari potuerunt ea obstrueretur. Semper aucta est multitudo hominum qui Romam convenerunt, quibusque malis obruebatur civitas nuper e tumultu Saturnini et Glauciae homines sapientes cognoverunt. Qui tumultus, ad quem opprimendum Crassum et Scaevolam arma sumpsisse diximus movisse eos videtur, ut malum reprimere, multitudinem minuere conarentur. Neque hi soli homines sed etiam alii rem cum iis communicaverunt: imprimis is[1]) qui eo tempore princeps senatus fuit, vir dignitate et rebus gestis clarus, M. Aemilius Scaurus, eadem superbia et odio in plebem incensus qua L. Licinius Crassus. Nam hic[2]) cum consulatum peteret, socerum suum Scaevolam dimisit, ne eo praesente manus hominum prensaret, quod indigne fieri putabat, ille[3]) quondam Statii versibus populum tumultuantem allocutus est, imitans Scipionem,

St, tacete, quid hoc clamoris? quibus nec mater nec pater,
Tanta confidentia? Auferte istam enim superbiam!

Itaque L. Licinius Crassus et Q. Mucius Scaevola legem de civitate tulerunt. Haec lex imaginem hominum qui tulerunt, ut iuris peritorum et eloquentia et causis pugnare consuetorum, prae se fert. Nam quamquam pauca exstant, e quibus concludi possit, qualis lex fuerit, id interesse videtur[4]) inter eas leges quae antea de civitate latae erant et legem Liciniam Muciam, quod Claudia et Iunia omnes expellebantur, Licinia autem et Mucia non eiciebantur, sed civitate uti seque pro civibus gerere qui cives non essent prohibebantur. Via autem qua civitatem socii sibi parabant, ut, si civis Romanus quem accusavissent damnatus esset,

---

1) Cic. de or. II, 64, 257.

2) Lange I, 605, Cic. de or. I, 24, 112. Val. Max. IV, 5, 4.

3) Cic. de or. II, 64 257.

4) De hac lege omnia quae dici posse mihi videntur contexuit L. Lange III, 88.

cives fierent, interclusa non est[1]). Quaestiones autem hac lege factae sunt et ii qui convicti sunt se sine ullo iure pro civibus gerere in ius civitatis suae redacti sunt.

Legem Cicero non modo inutilem sed etiam perniciosam rei publicae fuisse dicit[2]); in eadem sententia stat Sallustius qui citra Padum omnibus legem Liciniam taetram fuisse dicit[3]). Quodsi L. Licinius Crassus et collega putavit hac se lege malis rei publicae mederi posse, ut socios ex urbe eicerent et in eum statum quem illi nullo modo ferre possent redigerent, probo eorum sententiam; nam in rei publicae condicione mutanda vi nihil proficimus. Non abhorret autem haec ratio rei publicae gerendae ab hominibus istius aetatis: nam is ipse Crassus rhetores Latinos, cum esset censor, de qua re dicetur, Roma eiecit, quasi hac via protervitas et dicacitas iuvenum qui ab illis erudiebantur reprimi potuerit. Sed ita statuere ea re prohibeor, quod Crassus, de qua re dicetur, a Marco Livio Druso postea stetit. Quid ille egit, certo Crasso non ignotum fuit: ut civitas Italicis daretur. Quanta autem levitas Crassi fuisset, si id, quod paullo ante lege quantum potuit prohibere studuit, postea summa contentione defendisset? Si iuvenili aetate Crassus hanc legem tulisset, non dubitarem quin res ita accipienda esset. Sed Crassus ea aetate fuit, cum legem ferret, qua sententiam vir non facile mutat. Itaque id mihi concedes, si non praeoccupatus sententia aliqua res quas Crassus gessit perpenderis, si aliud consilium in hac lege infuisse demonstrare possim, quo Crassus non modo non stultus, sed studiosus rei publicae servandae videretur, sententiam meam si non omnes numeros probabilitatis explere tamen non neglegendam esse. Iam dixi autem M. Aemilium Scaurum socium Crassi in lege promulganda fuisse perhiberi: ubi Cicero huius rei mentionem facit, quid ille de populo qui in contionibus versabatur cogitarit affert: despexit ille multitudinem. Eadem sententia fuit Crassus. Intellexerunt autem viri sapientes si legibus rei publicae malis mederi vellent id ante omnia curandum, ut, cum de qualibet lege sententia ferretur, cives sententias ferrent, non homines qui undique Romam con-

---

1) Cic. pro Balbo 24, 54.
2) Cic. pro Cornel. frag. 10.
3) Sallust. fragm. lib. I, 15 ed. Dietsch.

fluxerant et sive suo commodo ducti sive ab hominibus novarum rerum cupidis corrupti sententiam ferebant. Non ut socii in pristinum statum redigerentur, sed ut civium sententia res publica administraretur, Crassus legem promulgavisse mihi videtur: esse pro cive qui civis non sit non licere.

Quamquam quaestio acerrima de civitate e lege Licinia Mucia facta est[1]), tumultus non est ortus: pax domi forisque fuit. Ea quae animi aequalitas consulum in lege promulganda fuit, in ceteris rebus non fuit: Q. enim Mucius Scaevola, ne aerario oneri esset, provinciam non obtinuit et Romae mansisse videtur[2]): Crassus autem noster consul in Galliam quam provinciam sortitus erat profectus est[3]). Non male provinciam administrasse videtur: homo quidem ei inimicissimus C. Carbo, filius illius Carbonis quem Crassus iuvenis accusaverat, secutus est, ut ex eius administratione materiam accusationis peteret. Sed Crassus, quamquam consilium ei notum erat, locum ei in tribunali adsignavit[4]). Cum autem Crassus triumphi cupiditate flagraret, quosdam Alpium incolas, qui Romanorum agros excursionibus et latrociniis vastabant, sed neque duce certo neque eo numero erant, qui hostes populi Romani dicerentur[5]), consectatus est et confecit[6]). Romam rediit, triumphum a senatu petiit; iam in eo erat ut senatus, quem eloquentia sua regebat, ei triumphum decerneret, cum collega eius Scaevola intercessit[7]), qua re triumphum non est assecutus. Intercessionem hanc Crassus causa Curiana de qua dicetur ultus est.

L. Licinio Crasso Q. Mucio Scaevola coss. Hortensius, undevigenti annos natus in senatu Africae causam defendit[8]),

---

[1]) Cic. pro Balbo 21, 48.

[2]) Zumpt Studia Romana 26: de Gallia Rom. provincia.

[3]) Haakh, Pauly IV, 1061 Anm: *Möglich wäre allerdings dass die lex de civibus regundis den Anlass zur Sendung des Consuls nach Galien gegeben hätte?*

[4]) Val. Maximus III, 7, 6.

[5]) Cic. de inv. II, 37, 111.

[6]) Quod Haakh, Pauly IV 1061 Anm. Crassum propter hoc bellum Licini forum condidisse coniecit, ideo parum verisimile est, quod Cato iam Licini fori mentionem fecisse videtur: Plin. III, 124 *auctor est Cato.*

[7]) Zumpt studia Romana 26.

[8]) Cic. Brut. 64, 229.

et Halaesini de senatu cooptando leges a senatu petiverunt[1]).

Anno 662/92 Crassus cum annum undequinquagesimum ageret[2]) ad summum magistratum pervenit: censor est factus[3]). Censura autem ante omnes magistratus quicunque aliquid ad rem publicam ordinandam conferre studebant uti soliti sunt et Crassus ita censuram gessit. Quominus autem magistratum ad finem perduceret dissensione prohibitus est quae inter eum et collegam est exorta. Collega autem fuit Cn. Domitius Ahenobarbus[4]), vir strenuus et vehementis indolis[5]), qui priscorum hominum severitatem imitatus est ob eamque causam morum correctorem agere potuit. At Crassus, ne dicam eum luxuriae deditum fuisse, artificum opera sibi quamvis summis pretiis comparaverat nec gulae deliciis sese abstinuisse videtur[6]). Qui tamen potuit is qui ludos magnificentissimos exhibuit, qui domum columnis antea Romae non spectatis ornaverat, qui familiaritate cum C. Sergio Orata[7]) coniunctus erat, quem in luxuria multum studium posuisse constabat, qui denique sola gloriae cupiditate incolis Alpium bellum intulerat, qui potuit hic alios propter mores e senatu eicere? Crassus quidem ad mores corrigendos parum aptus fuit, cum eius ipsius mores censorem desiderabant. Quae morum diversitas quae inter Crassum et Domitium interfuit prohibuit quominus censuram ad finem perducerent. Accessit quod non solum in moribus diversitas erat posita, sed quod Domitius eo tempore a popularibus steterat, quo Crassus iam ad optimates transierat. Ille enim 650/104 legem de sacerdotiis tulerat[8]), ut populi sententia in collegiis cooptandis audiretur, et eam ob legem a populo in locum Q. Servilii Caepionis quem Crassus defenderat

---

[1]) Cic. Verr. II, 49, 122. [2]) Cic. Brut. 44, 162.

[3]) Fast. Capit. C. Inscr. Lat. I, 439.

[4]) Sueton. Nero 2. [5]) Plinius XVII, 1.

[6]) Duos scyphos Mentoris artificis manu caelatos H S. C̄ emptos (= 1 Million) habuit: propter verecundiam iis nunquam uti ausus est. Plin. XXXIII, 147. Overbeck, Schriftquellen 2170. Idem et vasa summis pretiis (Plin. l. l.) et multa aerata triclinia heredibus suis reliquit. Valerius Antias ap. Plin. XXXIIII. 14.

[7]) De C. Sergio Orata dicetur p. 42.

[8]) Lange III, 60. Cic. de orat. II, 11, 45 Ellendt.

pontifex maximus factus esse videtur[1]). Intelleges hanc ob rem Crasso Ahenobarbum acceptum non fuisse. Itaque non mirum quod inter Crassum et Ahenobarbum dissensio exorta sit. Cum de civium discriptione in contione agerent[2]), Ahenobarbus Crasso probro dedit, quod et domus ei esset nimium magnifica, columnis et arboribus[3]) pretiosissimis ornata, et quod amator piscium esset: deflevisse quondam Crassum mortem muraenae unius dixit[4]). Sed Crassus qua erat eloquentia orationem lepore et festivitate conditam in collegam habuit. Luxuriam, quam ei Domitius probro dederat, illi imputavit neque erubuit quin de persona et habitu eius diceret et eum risu circumstantium obrueret[5]). Si perpenderis in contione hanc altercationem esse habitam, ambos fuisse homines summo loco natos, censores, collegas, inter quos summam concordiam esse oporteret[6]), mecum consenties huic rei publicae pestem insitam fuisse et Lucilii[7]) versum in memoriam revocabis, qui talem rei publicae condicionem notavit cum dicit:

insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Itaque collegae censura perfuncti non sunt: nam iam tribus annis post censores creati sunt[8]). In moribus corrigendis certe studium non posuerunt, neque quod Crassus hanc censurae partem neglexit, vituperaverim. Eam autem rationem, qua re vera mores corriguntur, Crassus adhibuit: puerorum eruditionem quae eo tempore depravata erat emendare conatus est. Exstiterunt[9]) enim eo tempore Latini rhetores qui dicebantur. Hi non ut humanitate et doctrina Graecorum iuvenes erudirentur curabant, sed ut eloquentiam eis pararent, qua adversarios in foro superarent: impudentiae igitur magistri fuerunt[10]). Quorum princeps L. Plotius Gallus fuit. Crassus autem, quamquam ipse cum esset iuvenis eam ipsam viam ingressus erat ut eloquentia adversa-

---

[1]) Lange l. l. Liv. LXVII. Val. Max. VI, 5, 5. Sed confer de hac re quae p. 27 dixi.

[2]) Lange III, 94. [3]) Plin. nat. hist. XVII, 1. [4]) Lange l. l.

[5]) Sueton. Nero. 2. [6]) Lange III, 94. [7]) Lucili fragm. inc. IV, 21.

[8]) Borghesi Oeuvres IV, 83. Cic. de orat. II, 89, 364 Crassum *consularem et censorium hominem* dicit: anno 91.

[9]) Ellendt brevis eloq. Rom. hist. § 25 (praef. edit. Cic. de orat.).

[10]) Cic. de orat. III, 24, 93. Tacit. dial. de orat. 35.

rium profligaret, — qui iuvenes cupidissimi rerum novarum fuerunt, senes morum maiorum amantissimi plerumque fiunt, — edicto rhetores Latinos ex urbe eiecit. Edictum censorum, quod Suetonius nobis tradidit, fuit [1]):

'Renuntiatum est nobis, esse homines qui novum genus disciplinae instituerunt, ad quos iuventus in ludum conveniat; eos sibi nomen imposuisse Latinos rhetoras; ibi homines adulescentulos dies totos desidere. maiores nostri, quae liberos suos discere et quos in ludos itare vellent, instituerunt. haec nova quae praeter consuetudinem ac morem maiorum fiunt neque placent neque recta videntur. qua propter et his qui eos ludos habent et his qui eo venire consuerunt videtur faciundum ut ostenderemus nostram sententiam nobis non placere.'

Sed edicto censores nihil effecerunt. Nam pestis unde impudentia illa materiam petebat in dies magis magisque gliscebat: hanc edicto evellere non potuerunt. Quis enim fuit qui avaritiam et cupiditatem dominationis, qua ducti cives inter se pugnabant, exureret et exstingueret? Hinc factum est ut omnes omnibus hostes fierent, hinc impudentia fluxit, quae arma requirebat: eloquentiam. Itaque non mirum, quod non multo post edictum censorum Latini rhetores redierunt: paulatim eorum eloquentia et ipsa utilis honestaque apparuit multique eam et praesidii causa et gloriae appetiverunt [2]).

Eodem anno Crassus in senatu de seditione Cn. Papirii Carbonis sententiam dixisse videtur eamque senatus est secutus [3]).

Ita L. Licinius Crassus cum annum undequinquagesimum ageret ordinem magistratuum percurrerat: quaestor tribunus plebis fuerat: aedilis curulis cum esset, magnificentissimis ludis populo satis fecit: praeturam gessit: in consulatu lege sua statum rei publicae mutare conatus est, censor denique edicto ne animi iuvenum eruditione depravarentur, ut more maio-

---

[1]) Sueton. ed. Reifferscheid de gramm. et rhet. 25.

[2]) Sueton. l. l.

[3]) Cic. de legg. III, 19, 42. Lange III, 110 P. Licinium Crassum Mucianum Divitem dicit: sed causam non video. Ceterum de hac seditione parum constat.

orum ad res gerendas aptissimi fierent curavit. Accedit quod in augurum collegium cooptatus erat[1]; in multis denique et clarissimis causis versatus erat[2]. Quid obstabat quominus Crassus fructus ex rebus gestis perciperet, quominus otio cum dignitate post tot si non praeclare at certe consilio et studio rei publicae servandae facta frueretur? quominus in senatu summam dignitatem et auctoritatem assequeretur? Sed consilium deorum longe aliud stabat quique annus, ut Ciceronis[3]) verbis utar, ei primus ab honorum perfunctione aditum omnium concessu ad summam auctoritatem dabat is eius omnem spem atque omnia vitae consilia morte pervertit. Anno enim 663/91 Crassus mortuus est. Fluctu, quem ipse concitasse quibusdam scriptoribus visus est, correptus interiit. Auctoritatem senatus, quam ipse cum iuvenis esset quantum poterat minuerat, splendida oratione defendens in senatu summa contumelia affectus est; cumque eam rem capessivisset quae pro salute rei publicae gerebatur, eloquentia sua qua toties adversarios profligaverat non effecit ut sententia sua perstaret. Res fuit haec.

Anno 663/91 Sex. Iulius Caesar L. Marcius Philippus consules facti sunt[4]. De Sex. Iulio Caesare nihil nobis traditum est[5]. L. Marcius Philippus autem secundum Crassum et Antonium disertissimus illo tempore habebatur[6], homo vehemens et imprimis fortis ad resistendum. Qui cum tribunus pl. esset legem agrariam tulerat, qua paupertatem civium quae in dies gliscebat tollere volebat; sed lex optimatium studio cum agrum publicum restitui vellet antiquata est[7]. Idem, quamquam summa nobilitate cognatione sodalitate collegio erat[8], cum 660/94 consulatum peteret repulsam tulit. Cum M. Herennius qui Philippum in petitione vicit homo mediocris ingenii esset, conici licet optimatium machinatione factum esse ut Philippus repulsam ferret. Apparet eum, qui omnia ea quae petiit optimatium opera prohiberi viderat, odium inde cepisse, ut omnibus eorum studiis obsisteret, etiamsi pro salute rei publicae suscepta essent. Cum autem ipse in tribunatu cognovisset,

---

[1]) Cic. de or. I, 10, 39: quo anno in collegium augurum sit cooptatus non est traditum. [2]) De his dicetur continuo. [3]) De orat. III, 2, 7.

[4]) Cic. fragm. pro Cornel. VI, 11. [5]) Drum. III, 767.

[6]) Cic. Brut. 47, 173. 50, 186. [7]) Lange III, 97, 72. [8]) Cic. Brut. 45, 166.

quam difficile esset impetrare, ut optimates pro salute rei publicae de suo aliquantulum concederent, si re vera illi miserias quibus civitas laborabat tollere in animo habebant, eum suspicionem habuisse verisimile est, optimates legibus nihil agere nisi ut commodo suo inservirent. Nisi enim res ita se habet, non intellego qui fieri potuerit, ut qui vir ante idem quod Drusus egit tam fortiter eius legibus obsisteret.

Anno enim 663/91 M. Livius Drusus [1]) tribunus pl. factus est. Quid Drusus in tribunatu suo egerit constat: ut fons omnium fere malorum quibus imperium Romanorum laborabat intercluderetur: ut civitas sociis daretur. Quod ut assequeretur et senatum et equites inter se conciliare et popularium animos coloniis deducendis sibi conciliare studuit. Drusi autem consiliarios [2]) Cicero M. Aemilium Scaurum et nostrum Crassum fuisse dicit. Quos viros de lege iudiciaria et de coloniis deducendis comperisse, de civitate sociis danda non compertum habuisse verisimile non est. Quod si constat, id quod constare puto, ut de M. Aemilio Scauro taceam, Crassum summum studium adhibuisse ut Drusi leges perferrentur, Crassum hominem non solum summae sapientiae sed etiam fortitudinis fuisse puto. Licet gloriae appetendae causa rem publicam, cum Carbonem accusaret, adierit, licet maculam ex inconstantia conceperit, cum a popularibus ad optimates transiret, licet inhonestam et parum dignam censuram egerit, cum altercationem illam in collegam haberet, studio quo Drusi leges defendit effecit, non solum ut ea quae laude parum digna in vita eius videntur oblivione obruerentur, sed etiam ut nomen ab oblivione temporum quod vindicaretur dignum fieret. Ostendit enim se non solum perspicere quibus malis res publica premeretur, sed etiam qua ratione evelli possent. Quod autem res publica ab his malis liberata non est, Crasso culpa eius rei non est tribuenda, id avaritia et stultitia aequalium factum est. Sed non meum est narrare quomodo factum sit ut Drusi leges abicerentur [3]): quid Crassus in hoc rei publicae statu egerit dicam. Factiones quae contra Drusum exstiterunt,

---

[1]) Lange III, 94.

[2]) Cic. de dom. 19, 50.

[3]) Lange III, 94 s.

quarum principes L. Marcius Philippus et Q. Servilius Caepio erant, rem Drusi quantum potuerunt labefactare conati sunt; in contionibus dimicatum est: Philippus consul in contione dicere non erubuit: alio sibi senatu opus esse. Ludi autem Romani pugnae finem fecerunt: Crassus, ut nobiles Romani illo tempore solebant, in Tusculanum colligendi sui causa se recepit [1]): extremo ludorum die Romam rediit [2]). Iam audierat Crassus Philippum consulem dixisse in contione illo senatu rem publicam se gerere non posse, alio senatu opus esse. Mane [3]) Idibus Septembribus senatus frequens vocatu Drusi in curiam venit: refert hic de illo ipso quod consul in senatum tam graviter in contione esset invectus. Dicit Crassus in Philippum: praedonem esse consulem, qui senatus patrimonium dignitatis diriperet: consulem suis consiliis rem publicam profligare. Tum consul, ut erat vehemens et fortis ad resistendum, qua erat ei potestas, Crassum pignoris capione coercere conatus est: misit statim lictorem qui illi pignus auferret: sed ille lictorem reiecit: Non es mihi, inquit, consul, quia nec ego quidem tibi senator sum [4]). Oratione deinde senatum commovit senati consultum ut fieret: ut populo Romano satis fieret, nunquam senatus neque consilium rei publicae neque fidem defuisse: ipse scribendo affuit. Contentione autem animi ingenii virium qua in oratione erat usus, et contumelia qua erat ibi affectus, ubi totiens laudem est assecutus, ita commotus est, ut dicenti latus condoleret et sudor multus consequeretur; e quo cum cohorruisset, cum febri domum rediit dieque septimo, i. e. ante diem XIII. Cal. Octobr. lateris dolore consumptus est. Undequinquagesimo anno utebatur.

Iure vero Cicero sibi non ereptam L. Crasso a dis immortalibus vitam, sed donatam mortem videri dicit. Non vidit Drusi leges non esse perlatas, non vidit peste illa, quam quantum potuit exstinguere conatus est, patriam perire; quod si unquam Crassus eo peccavit quod gloriae

---

[1]) Cic. de orat. I, 7, 24. Cic. pro Balbo 25, 56: Tusculanum de libertino homine, Soterico Balbo emerat.

[2]) Romae in Palatino monte habitabat, ubi erat magnifica ei domus quae hereditate ei obvenit: Plin. nat. hist. XVII, 1.

[3]) Cic. de orat. III, initio. [4]) Val. Maxim. VI, 2, 2.

cupiditati nimium indulserat morte sua et contentione qua rem iustam defendit ut illa oblivisceremur effecit.

Causae, in quibus Crassus dixit, sunt hae:

I. causa C. Aculeonis.

Pro C. Aculeone [1]) Crassus in causa contra M. Marium Gratidianum dixit apud iudicem M. Perpernam [2]); quo tamen anno eum defenderit, notum non est. Meyeri [3]) sententiam, qui 657/97 causam actam putat, quod hoc anno Perperna praeturam urbanam gesserit, Haakhius [4]) refutavit, cum notavit, praetorem Perpernam illo anno ex Pighii coniectura fuisse, quod Perperna 662/92 consul fuisset. Omnino non agitur de praetura M. Perpernae. Nam non apud praetorem sed apud iudicem res acta est [5]). Drumannus [6]) ante annum 659/95 rem gestam dicit. Qualis autem fuerit causa non est traditum. M. Marius Gratidianus fuit filius Marci Gratidii, qui praefectus Antonii in Cilicia fuit, quo interfecto filius a Mario adoptatus erat. Aderat Gratidiano L. Aelius Lamia [7]), homo deformis neque disertus. Non dubitavit Crassus urbana dissimulatione Lamiam, qui eum interpellaret, ut et pulchrum et disertum perstringere ita ut ii qui aderant riderent.

II. Causa C. Sergii Sili.

Adversus eundem Gratidianum Crassus pro C. Sergio Silo, qui Orata appellabatur, dixit [8]). Quo anno causa dicta sit traditum non est [9]). Causa fuit haec. M. Marius Gratidianus C. Sergio aedes vendiderat eas, quas ab eodem ipse paucis ante annis emerat. Eae serviebant, sed hoc in mancipio Marius non dixerat. Res in iudicium adducta est. Clarissimi huius temporis oratores Crassus et Antonius inter se certaverunt: id quod nequaquam familiaritatem qua Cras-

---

[1]) C. Aculeo fuit ille quem Crassus studii iuris civilis hortatorem et magistrum habuit quique Cic. de orat. I, 43, 191. II, 1, 2 significatur. cf. Meltzer de L. Coelio Antipatro, Lips: 1867 p. 8.

[2]) Cic. de orat. II, 65, 262. [3]) Meyer fragm. 302.

[4]) Pauly IV, 1060. [5]) Cic. de or. II, 65, 262.

[6]) Drum. IV, 64. [7]) Cic. de orat. II, 65, 262.

[8]) Cic. de off. III, 16.

[9]) Drumann IV, 63: *nach seiner Rückkehr aus Asien.* Cic. de orat. I, 39, 178 *nuper* dicentem Crassum inducit.

sus et Antonius iuncti erant dissolvit: saepe enim contrarias causas dixerunt [1]). Antonius propterea Gratidiano aderat, quod filius eius Gratidii fuit, qui praefectus Antonii in Cilicia fuerat. Ratio defendendi quam Crassus in hac causa secutus est, ei est contraria qua in causa illa celeberrima Curiana usus erat: illa enim in causa aequitatem urguebat, in hac ius. Etenim, quod vitii venditor non dixisset sciens, id oportere praestari dixit: at Antonius aequitatem secutus est: quoniam id vitium ignotum Sergio non fuisset, qui illas aedes vendidisset, nihil fuisse necesse dici, neque eum esse deceptum, qui id quod emerat quo iure esset teneret. Uter vicerit e verbis Ciceronis concludi non potest.

III. Causa C. Sergii Sili contra Considium.

Pro C. Sergio Silo in alia quoque causa Crassus dixisse videtur. Solus Valerius Maximus [2]) huius causae mentionem fecit. Res fuit haec. C. Sergius Orata ad lacum Lucrinum aedificia spatiosa et excelsa exstruxerat, ita ut molibus subiectis in lacu aedificia exstrueret. Idem conchylia in lacu coluisse videtur. Damnum inde Considio publicano cum exortum esset, res in iudicium deducta est. Verba Valerii Maximi sunt haec: „Ubi dum (sc. Sergius Orata de quo agitur) se publicae aquae cupidius immergit, cum Considio publicano iudicium nactus est. In quo L. Crassus adversus illum causam agens, errare amicum suum Considium dixit, quod putaret Oratam remotum a lacu cariturum ostreis. Namque ea si inde petere non licuisset in tegulis reperturum.“ Quaeritur autem ad utrum referenda sit vox *illum* (*adversus illum causam agens*). Meyerus [3]) Drumannus [4]) Considium, Haakhius [5]) Oratam dici vult. Utraque autem sententia, si solam grammaticam spectas, probari potest: cum enim pronomen ille ad id quod longius abest referatur, aut ad id quod in mente eius qui legit secundum locum tenet refertur, ad Considium; nam in tota narratione agitur de C. Sergio; id quod Meyerus et Drumannus volunt; aut si ordinem solum respicis, quo homines enumerantur, ad Sergium

---

[1]) Cic. de orat. II, 7, 30. Id inter Antonium et Crassum interfuit quod Crassus in causis recipiendis fastidiosior fuit: Cic. Brut. 57, 207.

[2]) Valerius Maximus ed. Kempf IX, 1, 1.

[3]) Meyer, frag. vett. oratt. 314. [4]) Drum. IV, 63. Anm. 52.

[5]) Pauly IV, 1059 Anm.

referendum est; nam ultimo loco de Considio dictum est: quae est Haakhii sententia. E verborum conexu autem, qua altera causa Haakhius sententiam suam defendit, nihil potest concludi. E ratione autem dicendi Valerii Maximi nihil probari potest: nam licet probare possim eum unam rationem secutum esse in adhibendo pronomine, hoc uno loco eum verba scriptoris alius non usurpasse nulla re cogimur putare. Urbana autem dissimulatione Crassum Considium *amicum suum* dixisse puto cumque alia in causa pro C. Sergio dixerit, in hac quoque illum defendisse mihi videtur [1]).

IV. Causa Cn. Plancii.

Quo anno Crassus pro Cn. Plancio contra M. Iunium Brutum dixerit prorsus incertum est. Drumannus [2]) non multum ante mortem rem esse actam suspicatus est, sed argumentis non probavit sententiam suam. Id quidem constat post annum 648/106 Crassum dixisse, cum Brutus ex Crassi oratione, quam pro lege Servilia habuit illo anno, recitari iuberet [3]). De qua re causa sit acta ne conici quidem potest. Quis ille Cn. Plancius [4]) sive Cn. Plancus [5]) fuerit vix dici potest. Drumannus [6]) Cn. Munatium Plancum, fratrem L, Munatii Planci, filium L. Munatii Planci fuisse dicit: sed nomina tantum sunt. At ille, qui Plancium accusavit, M. Iunius Brutus notissimus est. Fuit enim filius M. Iunii Bruti, hominis iuris civilis peritissimi [7]) qui tres [8]) libros de iure civili composuit; sed patris neque ingenium neque mores filio fuerunt: luxuria enim et libidine patrimonium dissolvit et paterna praedia quae Priverni Albae Tibure habebat et balnea quae hereditate ei obvenerant vendidit; qua autem eloquentia fuit, eam in calumniae quaestum contulit ita ut cognomine odioso accusator nominaretur [9]). Neque imperitus rei agendae fuisse videtur et veteratoriam artem in causa adhibuit. Excitavit enim qui e Crassi orationibus de colonia Narbonensi et pro lege Servilia ea

---

[1]) E Ciceronis Hortensio ea decerpta puto quae Valerius narrat. Nonius s. v. ostrea; cf. Meyer p. 314. de C. Sergio Silo Fest. p. 182. Macrob. III, 15.

[2]) Drum. IV, 66. Haakh, Pauly IV, 1062. [3]) Cic. de or. II, 55, 223.

[4]) Cic. de or. II, 54, 220. [5]) Cic. pro Cluent. 51, 140.

[6]) Drum. IV, 206. [7]) Pomp. de orig. iur. 39. Cic. de off. II, 14, 50.

[8]) Cic. de orat. II, 55, 224.

[9]) Cic. de off. II, 14, 50.

capita recitarent, quibus contraria de senatu dixerat, ut Crassum levitatis et inconstantiae in rebus gerendis argueret[1]). Sed Crassus statim tribus recitatoribus M. Iunii Bruti patris dialogos de iure civili legendos dedit, quorum unus in Privernati, alter in Albano, tertius in Tiburti sermonem habitum complectebatur, et interrogavit Brutum, ubi illa praedia essent. Cum[2]) autem casu in eadem causa anus Iunia per forum efferretur, quid illam patri nuntiare vellet Brutum interpellavit, cum gloriam gentis tantopere foedavisset.

V. Causa Pisonis.

Cicero[3]) causae mentionem facit in qua Crassus Pisoni cuidam adfuit. Ex ea ratione, qua huius causae mentio fit, concluditur eam fuisse notissimam. In hac enim causa Silus quidam testis se in Pisonem nescio quid audisse dixit: sed Crassus, qua erat urbanitate et dicacitate, in altercatione interrogando ita ad absurdum duxit, ut ille risu circumstantium obrueretur. Cum autem Cicero neque praenomen neque agnomen attulerit, quis ille Piso fuerit, dici non potest. Cicero[4]) autem altero quoque loco eiusdem libri narrat M. Aemilium Scaurum pro Pisone quodam dixisse sive testimonium dedisse: verba sunt haec: ille Gallus olim testis in Pisonem, cum innumerabilem Magio praefecto pecuniam dixisset datam idque Scaurus tenuitate Magii redagueret: Erras, inquit, Scaure; ego enim Magium non conservasse dico, sed tamquam nudus nuces legeret, in ventre abstulisse. Ne ex huius quidem loci verbis apparet quis ille Piso fuerit: causam notam fuisse ex his quoque verbis concludere possumus. Res ita fuisse videtur. Magius quidam praefectus cum Pisone ita coniunctus fuisse videtur, ut si quid in Magium dictum esset in Pisonem caderet. Itaque conici posse puto Pisonem consulem vel praetorem, Magium eius praefectum fuisse, qui pecuniam Pisoni daret, vel ipsi M.

---

1) Idem Crasso luxuriam probro dedit, qua Crassus domum suam ornaverat Veneremque Palatinam dixit, in domum illam magnificam illudens quae illi in Palatio fuit. Plin. nat. hist. XVII, 1. XXXVII, 3.

2) Cic. de orat. II, 55, 225. Drum. IV, 9. de Iunia: quam Plutarchus C. Craccho nuptam fuisse dicit, hic significari vult.

3) Cic. de orat. II, 70, 285.

4) Cic. de orat. II, 66, 265.

Aemilio Scauro. Ille enim particeps pecuniae fuisse videtur: res quae optime explicatur, si Plinii[1]) verba huc referimus: *M. Scaurus pater, totiens princeps civitatis et Magiani sodalici rapinarum provincialium sinus.* Utrum ille testis in Pisonem natione Gallus an libertinus, cui Gallo nomen fuit, fuerit, incertum est. Ex aliis autem scriptoribus de hac re non constat.

Si respicies qua ratione Cicero in eodem libro Pisonis duobus locis non longe inter se distantibus mentionem fecerit, mecum consenties verisimile esse, eundem Pisonem et eandem causam esse, in qua Crassus et Scaurus pro Pisone, alter testis alter defensor, exstiterint, praesertim cum aliis quoque in rebus Crassus et Scaurus idem sectati sint. Sed quaeritur quis ille Piso fuerit. E familia Calpurnia imprimis duo illo tempore clari fuerunt: L. Calpurnius Piso Caesoninus[2]), qui 642/112 consul, cum Hispaniam administrasset, a Tigurinis in finibus Allobrogum cum L. Cassio Longino, cuius legatus fuit, occisus est. Si hic in iudicium vocatus est, ante annum 647/107 causam actam esse statuamus necesse est. Sed de hac re nihil constat. Alterius de nomine Pisonis e familia Calpurnia homines doctos inter se consentire non video; Langius[3]) enim dicit L. Calpurnium Pisonem Bestiam tribunum pl. de revocando P. Popillio legem tulisse, consuli L. Calpurnio Pisoni Bestiae Numidiam provinciam obtigisse, eundemque a M. Aemilio Scauro contra M. Memmium defensum esse[4]). At Drumannus[5]) L. Calpurnium Bestiam sine ullo iure a scriptoribus L. Calpurnium Pisonem Bestiam dici ait. Tres[6]) enim stirpes familiae Calpurniae fuisse: Pisonum Bestiarum Bibulorum: Pisones autem aut Caesoninos aut Frugi dictos esse. Itaque, Drumanni sententiam si sequimur, L. Calpurnius Piso plane disiungendus a L. Calpurnio Bestia. Et omnibus quos perlu-

---

[1]) Plin. nat. hist. XXXVI, 116 ed. Jan. Hanc coniecturam, ex qua *Magiani* pro *Mariani* restituitur, mecum communicavit L. Lange.

[2]) Lange III, 65. Drum. II, 61 Nr. 8.

[3]) Lange III, 49; III, 57; III, 60. [4]) Mommsen II[4] 148 *Gaium Bestiam?*

[5]) Drumann. II, 95 Nr. 32. [6]) Drum. II, 60.

[7]) Cic. Brut. 34, 128. Liv. LXIIII. Sall. Iug. 27. Val. Max. I, 8, 11 *L. Bestia.* Flor. III, 1, 7 *Calp. Bestia.* Eutrop. VI, 26 (11) *L. Calp. Bestia.* Oros. V, 15. Obseq. 99.

stravi locis[7]), ubi L. Calpurnii mentio fit, a scriptoribus L. Bestia aut L. Calpurnius Bestia dicitur, nusquam autem L. Calpurnius Piso Bestia. Cicero autem ipse Bestiam et Pisonem disiunxisse videtur; in eodem enim libro (de orat. II, 70, 283) narrat Scaurum Bestiae advocatum fuisse, paullo ante autem (II, 60 265) in Pisonis causa Scaurum pro Pisone dixisse narrat neque multum post Crassum pro Pisone dixisse dicit. Si perpenderis quam non distent inter se, verisimile non videbitur, Ciceronem his locis eundem hominem duobus nominibus significasse. Itaque ut sententiam meam paucis comprehendam, pro L. Calpurnio Pisone dixit Crassus, qui Piso disiungendus est a L. Calpurnio Bestia.

VI. Causa Curiana[1]).

Post consulatum Crassus pro M'. Curio in illa causa celeberrima de Coponii hereditate contra Q. Mucium Scaevolam, qui collega in consulatu fuerat, apud centumviros dixit. Res fuit haec. M'. Curius heres a Coponio quodam, qui praegnantem uxorem reliquerat ea condicione scriptus erat, ut si postumus ante moreretur, quam in suam tutelam pervenisset, in eius loco succederet. Mortuo eo qui testamentum scripserat filius natus non est. M'. igitur Curius hereditatem sibi vindicavit. Cui propinquus eius qui testamentum scripserat M. Coponius obstitit, quod non ea condicione ille heres institutus esset, si pupillus non esset natus. Dissensio itaque inter scriptum et sententiam exstitit: quaerebatur enim utrum verba testamenti an sententia eius qui testamentum scripserat valerent. Occasionem contra Scaevolam dicendi, cuius sententia triumphus ei datus non erat, Crassus non omisit et aequitatem sequens illum, qui scriptum plurimum valere oportere defenderat, vicisse videtur.

VII. Causa M. Claudii Marcelli.

Qualis illa causa fuerit, in qua Crassus testimonium in M. Claudium Marcellum dixit, traditum non est. Cicero in oratione pro Fonteio 11, 24; 12, 26[2]) hanc rem obiter tetigit: verisimile est eius testimonium ad Marcellum damnandum.

---

[1]) De causa Curiana: Meyer p. 303s. Drum. VI, 65. Haakh, Pauly IV. 1061. His locis Ciceronis causae mentio fit: Brut. 39, 144; 5 , 194. 73, 256. de or. II, 6, 24; I, 39, 180; I, 57, 242; II, 32, 140. pro Caec. c. 18. Top. c. 10. de inv. II, 42, 122.

[2]) Val. Max. VIII, 5, 3.

non valuisse. Marcellum Drumannus eum dicit qui Aeserninus dictus est, sed argumentis non probavit [1]).

Restat ut de familia L. Licinii Crassi aliquid adiciam. Crassus Muciam Q. Mucii Scaevolae auguris et Laeliae C. f. filiam in matrimonium duxit [2]). Socero gener familiariter usus esse et Q. Mucius Scaevola homo iuris peritissimus generum in iure civili multum adiuvisse videtur. Quam ob rem Cicero, ut huius familiaritatis monumentum faceret, Q. Mucium Scaevolam in primo libro de oratore colloquentem induxit [3]). Eo autem anno quo Cicero fingit homines Tusculanum convenisse Crassi uxor, Scaevolae filia, iam erat mortua [4]). Duae autem filiae Crasso fuerunt, utraque sermonis quadam elegantia ex ipsius eloquentia et sapientiae stirpe sese generatam testificans [5]). Quarum altera nupsit P. Scipioni Nasicae, P. Scipionis Nasicae, qui cum L. Calpurnio Bestia consul fuit, filio. Duo autem filii Scipioni e Licinia nati sunt, quorum alter ab avo testamento adoptatus [6]), L. Licinius Crassus Scipio, Crassi heres factus est [7]), alter a Q. Caecilio Metello Pio, Numidici filio, adoptatus, Q. Caecilius Metellus Pius Scipio dictus est [8]). Altera Licinia cui nupserit certis testimoniis probari non potest: verisimile autem est eam C. Mario C. Marii filio nupsisse. Res ita sese habet. A nullo scriptore quos equidem perlustraverim traditum est, sed ex Ciceronis tantum verbis concludi potest. Caesare enim occiso Amatius quidam sive Herophilus medicus ocularius sive equarius aram Caesari constituit et plebem veteranosque excitavit ut Caesarem venerarentur [9]). Qui ut sibi popularium animos conciliaret se C. Marii eius qui septies consul fuit nepotem esse dixit. Idem Ciceronem per eloquentiam L. Crassi avi

[1]) Drum. II, 404 Nr. 23.

[2]) Cic. de orat. III, 12, 45. Val. Max. VIII, 8, 1.

[3]) Q. Mucium Scaevolam de genero suo gloriantem, qui eloquentia facile omnes aequales superet, Lucilius inducit: fragm. inc. XXXIII: *Crassum habeo generum, ne rhetoricotero' tu sis*


[4]) Cic. de or. I, 7, 2, *socer eius qui fuerat.* conf. pro Sestio 3, 6 *Ademit soceri nomen mors filiae.*

[5]) Brut. 58, 211. [6]) Brut. l. l. 212. [7]) Plin. XXXIV, 58.

[8]) Cic. ad fam. VIII, 85, 6. pro Sestio 124.

[9]) Lange III, 483. Val. Max. IX, 15, 1.

sui sollicitavit ut causam suam ageret[1]. Vides igitur adfinitatem inter Crassum et Marium interfuisse, Cicero autem Crassum inducit C. Marium adfinem suum dicentem[2]. Itaque apparet Liciniam Marii filio nupsisse et stemma Crassi, si Ciceronem sequimur, hoc est:



Non ignoro huic meae sententiae Plutarchi[3]) locum obstare qui in vita Marii: Marium misisse filium suum narrat, ut e villa Mucii soceri res ad iter necessarias peteret: iuvenem rebus e domo uxoris (τῆς γυναικός) comparatis Libyam petiisse. Itaque si Plutarchum sequimur Mucius socer filii Marii fuit. Sed Plutarchus erravit: error autem inde ortus est. Cum eo anno quo Marius expulsus est, Crassus iam mortuus esset, iuvenis Marius non ex illius domo res ad iter necessarias petere potuit, sed eius domum petiit qui secundum Crassum affinitate sibi coniunctus esset: i e avi uxoris suae. Inde conclusit Plutarchus Mucium eius socerum fuisse.

---

[1]) Cic ad Attic. XII, 49, 1. XIV, 8, 1.

[2]) Cic. de or. I, 15, 66. pro Balb. 21, 49.

[3]) Plut. Mar. 35.

Vita.

Maximilianus Oscarus Oette a. d. VII Id. Ian. anni huius saeculi XLIX natus sum Loebaviae Lusatorum, ubi pater meus medici munere fungitur. Fidei addictus sum evangelicae. Primis litterarum elementis in schola Loebaviensi imbutus anno decimo tertio aetatis meae gymnasium Budissinum adii, quod Friderico Palmio, praematura morte erepto, rectore maxima gloria florebat. Mensis Octobris initio anni huius saeculi LXVIII testimonio maturitatis instructus in academiam Lipsiensem me contuli, ubi litteris antiquis studerem. Per octo semestria spatia frequentavi scholas virorum clarissimorum Ahrensii Curtii Drobischii Ecksteinii Fechneri Fritzschii Klotzii Langii Overbeckii Pueckertii Riegelii Ritschelii Roscheri Voigtii Zarnkii Zilleri. Seminarii regii philologici per tria semestria spatia sodalis fui. Initio mensis Octobris anni huius saeculi LXXII Isenbergam oppidum in ducatu Altenburgico Sax. transmigravi, ubi magister lycei sum factus.

Omnibus magistris meis gratias quam possum maximas habeo semperque habebo.


BRIGHAM YOUNG UNIVERSITY
3 1197 23811 8761